

Domi Muratori delin.   Arnoldus uan Westerhout Antuerp Ferdinand Mag Princ. Etruriæ Sculptor fecit Romæ 1702.

CLEMENTI XI.


P. O. M.

SEMINARIUM ROMANUM

Ex Universa Doctrina

LITTERARIUM OBSEQUIUM.

D. D. D.



ROMÆ, MDCCII.

Excudebat Cajetanus Zenobius, in sua Typographia, & Fusoria, ad Magnam Curiam INNOCENTIANAM.

SUPERIORUM FACULTATE.

CLEMENTI XI.
P. O. M.

SEMINARIUM ROMANUM

FOELICITATEM.

SEriùs fortaſſe, BEATISSIME PATER, quàm gratulationis cauſa poſtulabat, ad Sanctiſſimos Tuos Pedes noſtra devolvuntur obſequia. Verùm ex quo feliciſſimè regnas, in eo laboravimus; ut, erumpere geſtientem lætitiam intra domeſticos pa-

rietes contineremus. Timor enim erat, ne, qua constantia dignitatem recusaveras, eàdem gratulantes Tibi de dignitate repelleres. Nunc verò, cum Tuæ id etiam debeamus Clementiæ, quòd eidem dignitati placatus, regnare decreveris; sines profectò, ut gratulemur, Tibi quidem, quòd, annuens Eligentium suffragiis, talem Pontificem dederis, nobis verò, quòd habeamus. Est hoc universo generi hominum commune gratulationis argumentum, quòd, ingentem expectationem de Tua virtute conceptam impleveris statim, ac majora jam facere Ipse possis, quæ nesciunt alii animo concipere,cũ viderint maxima. Ad nos verò præter cõmunis lætitiæ causas,ea peculiaris ac verè nostra pertingit, quòd singulari benevolentiæ significatione in summa dignitate, ac tanta Imperii mole, non inter ultimas amoris Tui curas Seminarium Romanum collocaveris. Extant hujus Tuæ in nos voluntatis indicia, & monumenta permulta, eaque nobis carissima: ejus verò causam scrutantibus non alia occurrit, quàm quòd adolescentes in hac nostra ætate liberales disciplinas promovere patrocinio Tuo velis ad fœcunditatem. Fecerunt id quidem Pontifices ante Te multi: quibus gloriosum erat præsidio esse Sapientiæ. Neminem tamen propensiore animo erga litteras fuisse, quàm Te unum existimamus, & satis certè scimus. Persuasissimum id omnibus est, cum omni Te Scientia tum Divina, tum humana, omni eruditione tum Græca, tum Latina, omni denique optimarum Artium cognitione, vel à prima ætate excultum, & ad hanc usque universæ doctrinæ perfectissimam complexionem provectum aspiciant. Quare non est mirum, si quas ma-

maturas ut maximè artes in Te demiramur & colimus, eas Ipse in aliis licèt acerbas & immaturas singulari favoris & beneficentiæ umbra perducere studeas ad spem maturitatis. Et ipsæ quidem nostræ litteræ CLEMENTEM sensère Tuæ erga se voluntatis illapsum. Reflorescunt illæ sub Tuis auspiciis, certosque subindè fructus pollicentur, & ferent. Impatiens verò studium ergà Te nostrum facere non potuit, quin veluti futuræ fertilitatis rudimentum exhiberemus aliquando, quidquid à beneficentissimo Tui Syderis aspectu lucis ac splendoris accepimus. Propugnavere non pauci, alii quidem Theologicas Theses, Polemicas alii, Canonicas alii & Civiles, alii Philosophicas. Et si quis est (sunt autem non sanè pauci) quem virtus aut studium ad Doctoratum evexit; non aliam ille fronti Laurum imposuit, quàm quæ sub Tui Nominis umbra adolevit. Id unum supererat, ut qui severioribus disciplinis honor contigerat, amenioribus etiam litteris quæreretur. Patieris igitur PONTIFEX MAXIME, ut Drama hoc allegoricum Tuo Nomini consecretur, & ut desumpsit à Tuis Oraculis argumentum, à Tuo etiam Patrocinio præsidium mutuetur. Patieris ut reliquæ etiam Musæ tibi inscribantur. Earum certè verecundia displicere non poterit. Cum enim optimè nossent, quantum Tuis Laudibus indigneris, id solùm peccare potuerunt, quòd eos Pontifices laudandos susceperint, quorum laudes Modestiæ Tuæ suspectas faceret sola affinitas nominis. Sed dandum aliquid est obsequio nostro: dandum est etiam aliquid Clementiæ Tuæ, quæ cum major esse non possit, non modò aditum aperit ad Te accedentibus,

tibus, ſed certam ſpem ingerit animis, non ingratum omnino Tibi fore Litterarium hoc noſtræ gratulationis obſequium. Ideò qui jam anteà in unum Convictum Studiorum gratià convenimus, inita nunc nova Societate Accademiæ Tuo nomine inſcriptæ, eaque nobis veluti meta ſimul & ſtadio laborum propoſita, id in poſterum curabimus, ut magnum animis noſtris ex Te acceſſiſſe ſtimulum ad Sapientiam omnes intelligant.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſc. Verulan. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Prædicat. Sac. Apoſt. Pal. Magiſter.

ACTORUM NOMINA IN PROLOGO.

RELIGIO.	*Marchio Stephanus de Mari.*
ROMA.	*Abbas Julius Vitellefchi.*
RELIGIONIS GENIUS:	*Joannes Baptifta de Mari.*
ALCANDER.	*D. Ferrantes de Cardenas ex Marchionibus de Laino.*
CHOREBUS.	*Ludovicus Baldefchi.*
BERILLUS.	*Comes Fabius Carandini.*

PRO-

PROLOGUS

SCENA I.

Alcander, Berillus, Chorebus.

Beril. QUÆ, (malum!) ista cunctatio est? Nunquamne tandem inter nos de argumento Fabulæ Tragicæ conveniet?

Alcan. Magnum opus, mihi crede, illum laudare, quem omnes laudant, quem nemo satis laudat, quem nemo tamen laudari pro dignitate non cupit. Quidquid afferas, infra famam & expectationem est.

Chor. At saltem aliquid excogitandum, accersendum è veteribus monumentis, petendum è recenti memoria.

Alcan. Quid queris? Omnia excussi, omnia tentavi, nihil dignum Argumento reperi.

Beril. Nihil?

Alcan. Nihil omnino: tanquam in immenso laudum mari mergor.
At, at quis aures dulcis implevit sonus?
Lux unde tam clara emicat?

SCENA II.

Religio cum duobus Geniis &c. Nubibus insidens, Cælo delabitur:

Relig. DUlces Alumni, cara Cœlitibus domus
Flos Orbis, & Romæ decus,
Satis est prophanis hactenus ludis datum:
Theatra me digna, & meo
HEROE, triplex quem colit mundus, volo.
Ea cura vos hodie vocat.

Alcan. Jubere tuus est, obsequi, noster labor.

Beril. Parere non lentos vides.

Relig. Nostras ad aures vestra jam dudum haud semel
Venere vota. Quæritis
Celebrare justis laudibus Mundi CAPUT,
Sacrique PASTOREM gregis:
Doctore quo secura regnat veritas,
Quo Roma floret auspice:
Facunda cujus lingua mores instruit,
Et vita virtutem docet.
Nunc ille, vestra vota quem poscunt, locus,
Laudumque materies datur.
Animis adeste.

Alcan. Sis bona & felix tuis.
Quid esse nobis dulcius?
Quid esse possit justius? Tamen..... *Relig.* Quid est?
Quis subitus occurrit pavor?
Narrate. *Alcan.* Ne laudetur hoc unum cavet:
Unumque, nam scimus, vetat.

Relig. Vetat? Vetare num poteſt? Laudabilis
Primum igitur eſſe deſinat;
Moreſque, virtutemque nativam exuat,
Se deinde laudari vetet.
Laudanda Virtus quin ſit, hoc unum, omnia
Licet ipſe poſſit, non poteſt.
Chor. Feret moleſte, quicquid eſt laudis. *Relig.* Ferat:
Pars laudis hæc vel maxima.
Quemcumque laus delectat, hic laude excidit.
Vetat unus: Orbis at jubet:
Et Roma; & ipſa jubeo. Nec Judex ſuæ
Dominuſque famæ eſt. Publici.
Quippe alma virtus juris eſt. Modeſtiam
Juſtitia vincat. Profuit
Adhibere vim. Cogendus & pridem fuit:
Qui debuit cogi, placet.
Illo carcerem, ſi reluctanti foret
Mos geſtus. *Chor.* At, quæſo.... *Relig.* Metum
Omittite: ipſa vos dabo tutos. Mihi
Parere nam CLEMENS amat.
Alcan. Tamen imperanti mos gerendus, aut gravis
Subeunda noxa. *Relig.* Num reos
Levius, ſilendo, vos fore putatis? Scelus,
Tacere, longe maximum eſt.
Peccare quod ſi oportet, in partem hanc juvat
Peccare, qua ſit cautior.
Chor. Igitur, docere, Diva, ne pigeat modum,
Operiſque formam dicere.
Relig. Miniſter aulæ fidus hic noſtræ, vices
Meas obibit, hic viam
Aperiet. Ille promet hoc Sacro è Penu
Oraculorum divite,
Quicquid Theatri dignitas veſtri petit.

SCENA III.

Alcander, Berillus, Chorebus, Genius.

Gen. IMPLETA SUNT VOTA GENTIUM, ORACULA PROPHETARUM. ÆTERNUS RERUM OMNIUM CREATOR ET DOMINUS SERVILEM FORMAM OBUMBRATA DIVINITATIS SUÆ MAJESTATE SUSCEPIT, UT QUOS SUB IMMANI PRISCÆ CONTAGIONIS JUGO DURA TENEBAT CAPTIVITAS, OPTATA DIU LIBERTATE DONARET.

Beril. Quid iſthuc eſt? amabo.

Gen. AD PECCATORES MISERICORDIA, AD ÆGROS SALUS, AD ERRANTES VERITAS, AD CÆCOS LUX, AD MORTUOS VITA DESCENDIT.

Chor. Quid id eſt?

Alcan.

Alcan. Mera fundis Oracula.

Gen. GRANDE MYSTERIUM, GRANDE DIVINI AMORIS PORTENTUM, GRANDE RECONCILIATIONIS NOSTRÆ SACRAMENTUM.

Alcan. At, quæſo, doce, quorſum iſta tàm ſublimia, tàm magnifica pertineant.

Gen. Quàm hæc divinitus ſunt dicta! Quam Auctorem ſuum ſapiunt! AD ERRANTES VERITAS, AD CÆCOS LUX, AD MORTUOS VITA DESCENDIT.

Beril. Certe Gregorios Magnos, Leones, Ambroſios audire videor.

Gen. Non Ambroſios auditis, non Leonem, aut Gregorium, ſed eum, qui Ambroſios, Leones, Gregorios, munere officioque repræſentat, reddit eloquentia, moribus exprimit.

Chor. Nunc demum video, unde iſta tàm ægregia ſumpta ſint. Nec miror tàm ſplendidè, tàm graviter, & ſanctè dicta: Auctorem agnoſco.

Beril. Et veneror. Sed quid conſilii tibi eſt, aperi, quæſo, ne retice.

Gen. Dicam. Videndum vobis eſt, quemadmodum hæc tàm ægregia in Scenam inducatis.

Beril. In Scenam inducamus?

Gen. Non vos fugit illa vox, *Segnius irritant animos demiſſa per aures, quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus*. Non ſit ſatis hæc Oracula in Principis Urbium Conſeſſu ampliſſimo pronunciata fuiſſe, conſignata literis, in lucem edita, Orbi toti audita. Eadem ab omnibus, faciendum eſt, ut ſpectari poſſint.

Alcan. At hoc fieri quo tandem pacto poteſt?

Gen. Non eſt abeundum longius. Ipſa, quæ recitavi modo verba nonne vobis aliquid oſtendunt, aptum Scenæ, Theatro natum? ÆTERNUS RERUM CREATOR, ET DOMINUS SERVILEM FORMAM INDUIT, UT QUOS DURA TENEBAT CAPTIVITAS LIBERTATE DONARET. DESCENDIT AD PECCATORES MISERICORDIA, VITA AD MORTUOS. JUSTITIA DE CÆLO PROSPEXIT. Quid ſi fingeretis, nàm fingendum aliquid in Scena, & licèt.

Beril. Imò neceſſe eſt.

Gen. Fingite, inquam, Regis potentiſſimi Filium Servi formam induere, ut Reum libertate donet. Jam tres perſonas habebitis. Primam Regis, alteram ejus Filii, tertiam Servi. Rex iratus Servo perduelli eum carceri mancipabit: neci, ſi vultis, addicet. Princeps Regis Filius Rei & Servi locum ſumet, eumque ſic libertati, ac vitæ reſtituet.

Chor. Belliſſime. Quid ſi Regi addantur duo Proceres, quaſi conſilii capiendi cauſa, duo Regni adminiſtri?

Gen. Perplacet. Ità illorum partes dividetis, ut alter Clementiæ quaſi perſonam ſuſtineat, alter Severitatis & Juſtitiæ: hic reum neci dedendum ſuadeat; ille venia donandum: hic juſtas infligi pœnas velit; ille contra remitti, & relaxari,

Chor. Sanè plus habebit contentionis iſta quaſi dimicatio, plus ardoris.

Alcan. Et plus etiam voluptatis.

Gen.

Gen. Reo isti adjungetis duos filios, quos paternum premet scelus, qui ad eandem pertrahentur cum parente reo pœnam, qui eadem cum illo venia & libertate gaudeant?

Alcan. Nihil melius.

Gen. Habetis totum tragediæ pulcherrimæ ordinem.

Alcan. Quas enimvero tibi grates agemus pro tam insigni beneficio?

Gen. Defunctus sum meis partibus. Recedo. Videte ut Actores, & alia, quæ usus theatri postulat, comparetis. Favebo cæptis, artem, verba, sensus heroicos, numerosque suggeram.

Beril. Adesse, quæso, perge, ac laborantes in tantis temporis angustiis adjuva.

Gen. Adero. Favebo: neque temporis angustias formidate. Ad laudandum Clementem si miraculis opus est, non deerunt.

Alcan. Sequor: ut omnia duce te, atque auspice, componam: jam vos revisam, & quid effecerim, renunciabo.

SCENA IV.

Berillus, Chorebus.

Beril. NOS vero beatos Doctore tanto! Quò attentiùs argumentum hoc & consilium contemplor, eò mihi magis arridet.

Chor. Divinitùs profecto datum.

Beril. Rex iste, Deum orbis moderatorem, ac primi sceleris in Homine reo vindicem justissimum exhibebit. Duo illi Proceres, alter Justitiæ Divinæ partes, alter Misericordiæ, obibunt. Perduellis Servus personam sustinebit Humani Generis.

Chor. Vel potiùs primi hominum Parentis, qui pater hominum & parricida, liberos, quos nondum genuerat, interfecit, & uno crimine ream progeniem damnavit.

Beril. Rectissimè. Illi duo Pueruli, specimen erunt miseræ posteritatis.

Chor. Imo beatæ, post impetratam veniam, & placatum Regem Filii sui deprecatione ac lacrymis.

Beril. Et morte.

Chor. An mori Principem hunc adolescentem, Regis unicum filium, in Scena facies?

Beril. Omnino mori: nam nisi Christi morte, quem ille Princeps adolescens exhibebit, repræsentari vita perditis hominibus non potuit. Audi, NATUS EST, UT DOCERET; MORTUUS EST, UT SANARET; RESURREXIT, UT GLORIFICARET. Vides singulas fabulæ tragicæ partes nobis à Pontifice Optimo Maximo subministratas. Nihil hodie de nostro fingimus, omnia sumimus ab illo, in quo Roma suum decus; Cælum Interpretem, Terra Doctorem, & oraculum habet.

Chor. Nefas tamen est in Scena mortem exhibere Principis. Nimis hoc tragicum, imo contra leges Theatri, quas observatas sanctè velim.

Beril. Quiesce: istimalo providebitur.

Chor. Sanè incommodum hoc si fugis, nihil, quàm totum istud, his partibus, quas modo diximus, informatum malim.

SCE-

SCENA V.

Alcander, Berillus, Chorebus, & Roma.

Alcan. FAVETE linguis. Roma ſpectatrix ades,
Oculoſque, & aures commoda.
Rom. Adſum: vocata venio. Non iſthæc vetus
Roma, & profana criminum
Parens, magiſtra erroris, & inani tumens
Fallacis aura gloriæ:
Anguſtus Orbis cui fuit; cujus ſinum
Oriens capacem, & Occidens
Spoliatus, ac vaſtatus implevit. Nihil
Eſt opibus è tantis ſuper,
Niſi nomen; & congeſta moles ruderum,
Urbis ſepulchrum conditæ.
Romam implet hodie Roma deſtructa, & truces
Minæ Theatrorum; Arcuum
Calcata pedibus pænè jam faſtigia,
Pulchrumque media in Urbe rus;
Æriſque, marmoriſque confuſum chaos,
Illuſtre, magnificum chaos!
Statuæ, minores auribus, naſo, pede,
Bis mortuorum triſtia
Monumenta: tituli manibus & umbris dati:
Ævoque detritæ, ac ſitu
Inſcriptiones, quas vetuſtati eripit
Oblivioſæ diligens
Critici ſagacis cura, doctiſque eruit
Quondam legendas poſteris:
Et alia rapidi temporis ludibria,
Heu fragilis annorum jocus!
Hæc, Roma jam ſunt. Fuimus. At, fallor, ſumus,
Majorque Roma jam ſumus.
Poſt tot ruinas altior ſurgo. Viget,
Cæloque par tollit caput
Sepulta toties Roma: de tumulo novam,
Rediviva lucem colligo,
Melioris ævi compos, & morum arbitra,
Virtutis & veræ potens.
Religio mihi plus, bella quam, & Martis labor,
Petruſque, quam Cæſar, dedit.
Qua Sol utrumque geminus Oceanum aſpicit,
Regno. Meas Afer, Japon,
Braſiluſque, Chilenuſque, leges accipit.
Non turbam inanem Numinum,
Deoſque populo judice creatos colo,
Ariſve ſcelera conſecro.

Sed sancta Divis Templa, sed castas domos,
Summoque sedes Numini
Posuisse lætor: vera se pietas ubi,
Deusque se totum explicat.
Nec jam triumphos Cæsarum, & priscos Duces,
Cantata jacto nomina:
Sed Veritatis præsides, sed Numinis
Vicarios, quorum Polus,
Tellusque voces audiunt: quorum pedes
Apex superbus Principum,
Regumque lambit strata majestas humi,
Testata præsentem Deum:
Hos inter Unus eminet, Solio Petri
Quem rara virtus intulit:
Unus, priorum decora qui jure omnium
Collecta, laudesque obtinet,
Quo magna sum. Laudare vos illum juvat.

Choreb. Faciemus. Et nos hæc modo
Musasque nostras cura sollicitas habet:
Vocata spectatrix ades.

Rom. Quid agitur autem? Quæve laudum portio
Celebranda jam vobis placet?
Celebrare cunctas nam simul nullæ queant
Musæ, Theatra, Carmina.
Nec ipsa, Mundum Roma quæ capio, queam
Huic esse par oneri. Est opus
Laudum ex acervo legere, quod vires ferant,
Quod tempus, & poscat locus.

Chor. Factum. Adfuere Cælites. Operis modus
Et forma jam constat. *Rom.* Cedo.

Beril. CLEMENTIS inter decora, laus nobis placet
Cælestis Eloquentiæ.
Præclara magni Verba Pontificis damus,
Quæ fama late distulit,
Cum Vaticano plausibus jugo datis
Echo assonaret æmula.
Sed Verba quamvis aurea, volantes sonos,
Partusque linguæ præpetis,
Velox feroci dissipat flatu Notus,
Auræque inanes opprimunt.
Quodcunque punctum temporis nata edidit,
Idem sepulta perdidit:
Quin tota nequeunt vivere, & pars jam perit,
Dum parte vivunt altera.

Chor. Ergo ut recepta mentibus longùm hæreant
Aurésque ne prætervolent,
Oculis fruenda tradimus: volucrem fugam
Vocis Theatro sistimus:
Et actione verba vestimus! Sono

Mo-

Motumque vitamque addimus.
Quodcumque muto charta celavit sinu,
Hoc Scena vocalis dabit.
Nec sola magni Verba Pontificis dabit,
Mores at ipsos exprimet:
Justumque, Clementemque, ubique Maximum,
Pia exhibebit Fabula.
Rom. Macti. Beastis: nec tamen vetitos velim,
Quos vestra consuevit Domus
Obire ludos. Hic suus Marti locus
Erit, & palæstræ nobili.
Nil sit morarum: tibiis lætum increpent
Tubisque juncta tympana.

FINIS PROLOGI.

ARTIS SALTATORIÆ SPECIMEN.

Qui Romam triumphantis in morem humeris invexerunt in Scenam, ejusdem Urbis insignia quatuordecim præferentes, Choream agunt, & gentilitium PONTIFICIS Stemma vario corporis motu depingunt.

Joannes Nanti.
Philippus Insaghi.
Joannes Petrus Formenti.
Joannes Altoviti.
Augustinus Lombardi.
Leonardus Tempi.
Augustinus Grimaldi.
Mauritius D'Aste.
Laurentius Grimaldi.
Joannes Dominicus Lomellini.
Paschalis Galeani.
Joannes Lucas Imperiali
Hercules Oddi.
Nicolaus Capece.

THEANDER
DRAMA
ALLEGORICUM.

ARGUMENTUM DRAMATIS.

REX Pantocrator Protoplaſtum perduellem Subditum, conflatæ cum Hoſtibus in ſe, ac Filium, conjurationis reum neci addixerat. Hoc ubi audivit Theander Pantocratoris Filius, qui Protoplaſtum non ſecus ac Fratrem diligebat, cùm alia ratione ſervare miſerum non poſset, ejus loco, clam Patre, moritur. Charitate Filii Rex perculſus, Reum in gratiam, & priſtinum dignitatis gradum reſtituit.

Actorum Nomina, & Perſonæ in Dramate.

PANTOCRATOR Rex.	*Marchio Stephanus de Mari.*
THEANDER Filius Pantocratoris.	*Abbas Pompeus Amadei.*
PROTOPLASTUS Reus.	*Angelus Granelli.*
ALEXIUS) Filii Protoplaſti.	*Joannes Baptiſta de Mari.*
CARILUS) Filii Protoplaſti.	*Comes Joannes Petrus Arrivabene.*
EUBULUS) Regii Sanguinis Principes.	*D. Joannes Franciſcus Cavaniglia ex Marchionibus S. Marci.*
DICASIMUS) Regii Sanguinis Principes.	*Georgius Boſdari.*

ARGU-

ARGUMENTUM ACTUS PRIMI.

DEtecta Protoplasti conjuratione Rex ipsum unà cum liberis, ac tota stirpe perdere constituit. Eubulus Regem inflectere conatur ad clementiam. Instat contra Dicasimus, & reum neci quam primum esse dedendum persuadet. Evocatus igitur cum liberis Protoplastus, exprobato scelere, jubetur mori. Frustra deprecator accedit Regis filius Theander, frustra Patris expugnare severitatem nititur. Obire mortem amici loco statuit.

ACTUS I.

SCENA I.

Pantocrator, Dicasimus, Eubulus.

Pant. IMPUNE perduellis in Solium involet?
Sceptrumque parricida præripiat mihi,
Natoque? Donis ille cumulatus meis.
Evectus ad spem Regni, & adscitus domum,
Natique semper habitus, & amatus loco,
Rebellat in me, donaque oblitus mea,
Suimet ipse oblitus, in Domini caput
Intendit arma, nosque sceleratus petit.
Dicas. Alitur malum, gliscitque, nisi presens premit,
Et resecat ulcus pœna. *Eub.* Nil equidem abnuo,
Meruit, fatetur ipse. *Dicas.* Quod meruit, luat.
Pant. Ego ille Regum domitor, & rerum arbiter,
Facinus rebellis impium servi feram?
Dicas. Quin tota pariter funditus pereat domus,
Radicitus succisa; nec solus cadat,
Ad posteros pertineat, & vivax premat
Scelus nepotes. *Eub.* Mitiùs miseros habe;
Regibus amari dulcius semper fuit.
Dicas. Semper timeri tutius Regi fuit.
Eub. Veniat amoris pristini in mentem. *Pant.* Venit.
Quò tendere ultra regius potuit favor?
Dicas. Quo tendere ultra Subditi potuit furor?
Pant. Satis est amori, plus satis reo datum est,
Amare nescit, timeat. Ex odio meum
Æstimet amorem, donaque ex pœnis. *Dicas.* Amor
Movere quem non potuit, hunc pœna obruat.
Eub. Nihilne precibus, genitor, & nato dabis?
Pant. Frustra roget Theander. *Dicas.* Imperii luem,
Hostem parentis, & suum, infelix amat!

Pant.

Pant. Amat? Et amare licuit insontem: reum
Odisse, jam religio, lex, pietas, jubent.
Eub. Vicaria illum morte servatum cupit
Tuus Theander. *Dicas.* Facinus indignum! *Pant.* Preces
Istas omittat natus, ac merita nece
Plecti scelestum gaudeat mecum genus.
Eub. Natum rogantem respues? *Pant.* Nostros prius.
Quam natus isthuc pro reo affatus petat,
Eripere amicum vel neci tentet, ratum est
Ferire certo fulmine invisum caput.

SCENA II.

Pantocrator, Eubulus, Dicasimus, Protoplastus, Alexius, Carilus.

Pant. I Nunc, superbe, sceptra jam nostra obtine,
Patriæque linquens pulverem, & sordes casæ,
Regale nomen, ac locum tandem occupa.
Ingrate! Vecors! Perfide! hoc de te mihi
Sperare licuit? Opibus & honore auxeram,
Primoribus, natoque reddideram parem,
Mihique. Dona sic mea oblitus, vicem
Istam rependis? Trahite confestim hinc procul,
Perimite: lacerum canibus obscenis date
Prædam cadaver. Stirpis at sobolem impiæ,
Natos, nepotes, publicè exustos, volo
Leves in auras, cinere disperso, rapi.
Prot. Agnosco: merui. *Pant.* Denique agnoscis? Parum est,
Agnoscet ætas omnis. *Dicas.* Exemplis juvat
Firmare magnis sceptra, ne quisquam audeat
In posterum insanire. *Prot.* Per natum obsecro.
Pant. Quem prodidisti. *Prot.* Per tuam hanc dexteram, pater;
Si fas vocare. *Pant.* Judicem potius voca,
Pater esse desii. *Prot.* Judicem appello, reum
Sisto fatentem. *Eub.* Parce supplicibus. *Prot.* Piget
Sceleris, pudetque. *Pant.* Jam nihil precibus loci est
Veniæque. Dixi. Nulla sit jussis mora.
Alex. At tu parenti parce Rex. *Eub.* natos vides
Miseri parentis. *Caril.* Perde, si libitum est, neca
Perure, geminum offerimus in pœnas caput
Pro patris uno capite. *Pant.* Nec geminum caput
Satis litabit scelere pro vestro, procul
Hinc perduelles ite. *Alex.* Sic vivat tuus
Diù superstes natus. *Pant.* Et vobis, diù,
Vestroque genere, vivat, extincto. *Eub.* Tamen
Quid his peractum est sceleris? *Dicas.* In natos scelus
Recidit parentis. *Eub.* Istam in ætatem scelus
Nondum cadit. *Pant.* Parente scelerato satis
Sit esse genitos. *Eub.* Sit satis patri suum
Scelus, vacare liberos culpa jube.

Alex.

Alex. At esse miseros, esse sceleratos jube,
Modo sit superstes genitor. *Caril.* Hunc nostra frui
Pœna, rogamus, patere. Per si quid sacrum,
Per si qua pietas. *Alex.* Genitor ad genua accide.
Prot. Rogo, parce natis. *Pant.* Quos tuum damnat scelus.
Prot. Quos tenera puros sceleris, & noxæ integros,
Persuadet ætas. *Pant.* Quos reum damnat genus,
Patrique jungit. Fugite conspectum: luem
Radice ab ima jubeo funestam erui
Quis hic? *Dicas.* Theander.

SCENA III.

Theander, & alii.

Thean. GENITOR. *Pant.* Ah video! foves
Sceleratum, & hostem diligis.
Thean. Amicum. *Pant.* Hunc amas?
Thean. Quem, Pater, amasti: filium tute hunc tibi,
Hunc esse fratrem tute voluisti mihi.
Pant. Tunc nempe, sceleris purus, & noxæ integer
Cum fuit, amavi; nec piget. Quid jam in reo
Potest placere? *Thean.* Quod reus, quodque est miser.
Eub. Favere miseris regium semper fuit.
Dicas. Odisse iniquos regium semper fuit.
Thean. Quin ipse miseros diligis, nec te patrem
Unquam vocari, si quis appellat, vetas.
Pant. Pater esse miseris non nego, ingratis nego,
Nego sceleratis. Judicem infensum sibi,
Suique justum sceleris ultorem sciant.
Thean. Etiamne fratrem indigna patientem feram?
Pant. Indigna? *Thean.* Digna fateor. & scelere, & reo,
Indigna sed te, Genitor. Est Clementia
Laus prima Regum. *Alex.* Scelere num victa unico
Pœnas reposcet, pristinum & morem exuet?
Pant. Justitia regum prima laus semper fuit.
Thean. Tibi perire filium, fratrem mihi
Perire, videam lentus? *Pant.* Est reus. *Thean.* Est tuus.
Pant. Meus ille? *Thean.* Quem voluntas atque adoptio
Dedit. *Pant.* Immerentem. *Thean.* Natus ut Regis foret
Nihil ipse meruit, fateor: ast ex quo tuus
Incæpit esse, meruit, & amari, & coli.
Pant. Ingratus ex quo cæpit esse atque impius,
Meus esse desiit, meruit & plecti. Ratum est,
Merita scelestum morte dependet nefas.
Thean. Ratumne, genitor? *Pant.* Est ratum. *Thean.* Clementiæ
Loci nihil veniæque, nil precibus loci est?
Pant. Nihil. Recede. *Thean.* Per patris nomen rogo,
Per dexteram hanc, permitte. *Caril.* Natum respues?
Alex. Nihil obtinebit natus? *Pant.* O' felix reus,

Cui

Cui deprecator tantus obvenit! Tamen
Quo rapior? Actum est: dicta jam sententia:
Non muto factum. *Dicas.* Quod probe expensa semel
Statuere causa placuit, infringi est nefas.
Eub. Injusta nunquam causa parcendi fuit.
Dicas. Est puniendi justa. *Eub.* Cum natus rogat,
Audire justum est. *Caril.* Natus extinguat faces
Regalis iræ. *Pant.* Solus extinguet cruor:
Facesse pietas. *Dicas.* Crede nec pietas ea est,
Quæ legibus non servit, & crimen fovet,
Nato, tibi, crudelis. *Eub.* Et Regi, & Patri,
Honesta. *Dicas.* Populo pariter & regi, & patri,
Damnosa. *Eub.* Regno pariter, & regi utilis.
Dicas. Indignus est, cui crimen ignoscas, reus.
Eub. Dignus Theander, cui Pater amici scelus
Condonet ultro. Sic Patrem vinci decet.
Caril. Reo negas: concede nato. *Alex.* Da Pater,
Quod merito Judex abnuis. *Pant.* Nati & Patris
Hic una causa est. Rex, Pater, Natus, reum
Simul reposcunt ad necem. Nil sit moræ,
Absiste, filii. *Thean.* Quid jubes genitor? *Pant.* Volo
Crimen piari sanguine. *Thean.* Pietur meo.
Pant. Sanguine nocentis. *Thean.* Innocentis: hunc dabo
Qui labe nulla fluxit imbutus; cape,
Totum ecce fundo, genitor. *Pant.* Incassum preces
Lacrymasque fundis, dedite sceleftos neci.

SCENA IV.

Theander solus.

AGE, huc, amor; neglectus, infelix, amor,
Ingenium, & artes admove. Sed quas? Preces
Lacrymasque frustra dedimus: affusi pedes
Prensavimus, tentata, consumpta omnia:
Nihil est amori, & gratiæ, nato nihil
Datum est: severus filium abjecit pater
Frustra precantem. Forte morientem audiet.
Moriamur. Euge. Nil nisi felix dolus,
Vicariam nil præter est mortem super.
Aude anime, perge, aggredere, quod longe sequens
Miretur ætas: quod parens factum probet,
Quod doleat idem, ac laudet. Hic regni, & tuum
Decus, hic parentis vertitur. Sic subditos
Et Regna Patri, sic tibi fratrem, & reum
Miserumque servas. Ite degeneres metus,
Valete sceptra, quidquid in vita fuit.
Aut esse dulce potuit, æternum vale.
Carcer, catena, vis veneni frigida,
Et quidquid atrox, triste, funestum, objicit

Mors

Mors, dulce amanti est. Pascitur duris Amor,
Periculis accrescit, & media in nece,
Victor triumphat; nec satis amico datum
Putat esse, si profundat aut famam, aut opes,
Lacrymasque: vitam, sanguinem, & sese nisi
Totum profundat: seque sic vita, & nece,
Tumuloque fortiorem, & invictum, probet,

FINIS ACTUS PRIMI.

GLADIATURÆ SPECIMEN.

Dum umbratili Monomachia duo Juvenes digladiantur, aliis aliisque in utriusque subsidium succedentibus, ludicrum omnes miscent certamen, quod tandem ense permagno dirimit præstantissimus Gladiator.

Carolus Gesualdi.

Nicolaus Capece.
Hercules Oddi.
Joannes Lucas Imperiali.
Petrus Paulus Carrara.

Joannes Nanti,

Augustinus Lombardi.
Carolus Imperiali.
Laurentius Imperiali
Leonardus Tempi.

Julius A Vulpe.

ARGU-

ARGUMENTUM
ACTUS SECUNDI.

Damnatus cum filiis Protoplastus, illorum ac suam lugebat vicem: cum adest subito Theander: fingit placatum à se Regem, veniam reo donatam. Catenas Protoplasto detrahit, eumque domum ablegat, ubi squallorem deponat ac vincula, statim rediturus ad agendas Regi gratias; ipse interim amici catenas induit, abdit se in carcerem ejus loco, & venenum ab inscio lictore in tenebris propinatum ebibit.

ACTUS II.
SCENA I.

Protoplastus, Alexius, Carilus.

Prot. ACTUM est, periimus: nulla spes veniæ est super.
Labes meorum, perditæ opprobrium domus,
Ludibrium hostis, pereo. Quo cecidi miser!
Alto repente tractus in preceps gradu!
Utinam ipse caderem solus! Heu longos sequax
Premet nepotes pæna, & unius scelus
In immerentes recidet æternum reos.
Meruisse pænam fateor: at, quid liberi
Meruere, quos (heu!) perdidi, quos ad necem
Sceleris paterni causa communis rapit,
Et origo miseros damnat infausta. Omnium
Sum crimen unus. Si quis at veniam tamen,
Regisque rursum gratiam infensi daret!
Scelere ut solutus morerer! O nati! Oscula
Suprema libem, finite. Postremum hoc erit
Quod vos videbo: triste documentum pater
Vobis ero, peccare ne libeat. *Alex.* Pater.
Caril. Genitor. *Prot.* Valete. Fata meliora apprecor:
Vobis Theander aderit, & periculi
Quicquid minatur regis offensi furor,
Amolietur. Ipse dependam scelus,
Namque omne nostrum est: magna pars pænæ tamen
In vos recumbet. Vivite: hoc unum est super
Miseris: iniqua fata, sceleratus parens,
Reliqua abstulerunt omnia. *Alex.* Hoc potius pater,
Rogamus unum & quærimus, tecum ut mori
Tecumque plecti liceat. *Caril.* Ah! Patrem sequi
Liceat. *Prot.* Manete: vivet in natis parens,
Meliorque, spero, vivet. *Caril.* Abs te, mi Pater,

Vis

Vis nulla nos revellet. In lucro est mori.

Alex. Hæc summa voti est: sceleris ejusdem reos,
Ut jungat eadem pœna. *Caril.* Cum Patre emori
Dulce ac decorum est. Unus hic urit dolor,
Tuam subire quod vicem nequeo, Pater.

Alex. Caput parentis capite quin possum meo
Redimere? Quin te mille per mortes licet
Servare, genitor? Moreris? *Prot.* Ah nate! *Caril.* Obsecro,
Venire pœnæ liceat in partem, ac necis.

Alex. Vt te perempto vivam? *Caril.* Ut avellar sinu
Cari parentis? Non feram. *Prot.* Hanc, oro, indolem
Servate superi: detonet vester furor
Caput hoc in unum. Alexi! Mi Carile! *Alex.* Ah! Pater.

SCENA II.

Theander, Protoplastus, Alexius, Carilus.

Prot. MOrimur, Theander, morimur. Hoc unum dolet,
Quod regis hostis, quod tuus dicar. *Thean.* Voca
Fratrem, atque amicum. *Prot.* Perditum appella, impium,
Et perduellem: fuerit hoc misero satis,
Si te meo cruore, si Regem mihi
Placatum habere mereor. *Thean.* Age, regis furor
Tandem resedit. *Prot.* Victimam ad mortem vocas,
Hæc una Regis ratio placandi. *Thean.* Voco
Ad vitam. *Prot.* At, oro, parce misero illudere,
Non ista volui, nec mori timidnm vides.

Thean. Amice, Frater, quidquid arcani latet,
Juvat aperire. Vive jam felix, Patrem
Vicimus. Atrox justitia, & indocilis rigor
Clementiæ concessit, en te filio
Donavit. Agedum, vincla confestim exue.

Prot. Ludisne amantem, Frater? *Thean.* Ægre istud quidem
Extorsimus: pugnandum, & instandum fuit,
Lacrymas, preces, parentis almum, & filii,
Ut arma certa, nomen admovi, dedit
Victas manus, reumque jam solvi jubet.

Prot. Vigilone! Mentem somnus an dulcis tenet?

Thean. Quin, & catenas, carcerem, & quas hactenus
Pœnas luisti, quasque te meritum annuis,

Prot. Graviora merui, fateor. *Thean.* In medium attuli:
Miserum esse juvit, juvit esse perditum,
Ut ne perires, dignus ut lacrymis fores
Veniaque. *Prot.* Si servandus hoc fueram modo,
Sic, sic juvat periisse, jamque adeo prope est
Ut esse felix culpa dicatur, tuo
Redempta tanto amore. *Alex.* Ut advolvar sine
Genibus, Theander, *Caril.* Istam ut amplectar manum!

Thean. Nondum catenas exuis? *Alex.* Dum res calet,

Iraſque regis animus oblitus graves
Paulum acquieſcit, rumpere actutum moras
Juvat, ac recentis gratiam veniæ ratam
Firmamque facere. *Thean.* Nequid occurrat mali,
Mentemque genitor mutet: hos habitus ſtatim,
Et luctuoſæ ſortis, ac noxæ notas,
Et vincla, & iſtum, quo jaces dudum obſitus,
Cum vinculis depone ſqualorem, domum
Excurre noſtram, cultum ut hic alium induas:
Perges in aulam poſtea, & Regi accides
Ad genua ſupplex; debitas veniæ memor
Datæ rependes gratias. *Prot.* At quas tibi
Solvam Theander? *Thean.* Pignus hunc noſtræ cape
Fidei & amoris annulum: hunc Regi offeres,
Agnoſcet ultro, nomen & noſtrum libens,
Quod gemma præfert Indica notatum, leget.
Alex. O nos beatos, frater! *Caril.* O lapſam domum
Sic reſtitutam! Vivis, ò Genitor. *Prot.* Tuum eſt
Iſthuc Theander. Vivite huic in poſterum,
Unumque, nati, colite. *Caril.* Sic vivam, ut tibi
Uni, Theander, vivam. *Alex.* Ut uni ſerviam.
Thean. Servare miſeros eſt meum. *Caril.* Ah Frater! *Thean.* Moras
Præcidite, iſthinc rapite feſtinum pedem.

SCENA III.

Theander ſolus.

DUlces catenæ, dulce monumentum mei
Amoris: ut vos induo ac ſtringo libens,
Simulque amici crimen ac ſortem induo!
Sed perge, Amor: pars laudis hæc noſtræ quota eſt,
Rapuiſſe amico vincla! Nunc illi affere
Moriendo vitam. Vinculis noſtram adiice,
Ut venia miſero certior conſtet, necem:
Hoc reſtat unum. Morimur, ò Genitor: pius
Amor volentem filium huc adigit: litet
Tuo furori victima hæc melior. Cape
O Frater, animi pignus hoc noſtri; meum eſt
Quod vivis, unum poſtulo, ut noſtri memor,
Amanſque vivas. Genitor, indulge reo.
Hæc ad Patrem ſcribit. (IGNOSCE GENITOR, NATUS HOC MORIENS ROGAT.
(TIBI SIT ILLE FILII DEINCEPS LOCO,
(SI NOS AMASTI, MORTE SIT NOSTRA INNOCENS,
(MEOQUE VITAM FUNERI ACCEPTAM FERAT.
At vos nepotes ſeri, & ætas ultima,
Audite, Servum Filius Regis, Reum
Inſons, Amicum Amicus ut ſervet, perit.

FINIS ACTUS SECUNDI.

ARTIS

ARTIS MILITARIS SPECIMEN.

Puerorum Agmen, quos sclopetis majoribus instructos Ductor recensit, nunc simplicem, & extensam aciem, nullo sinu, nulla curvatura efficiendo, nunc eodem ordine conservato illam duplicando, in cuneum nunc, nunc in orbem mutando, & digressiones, reversiones, displosiones, aliaque id genus militaria exercitia eos edocendo.
Hi tandem in hostiles agros strictis ensibus excursuri, ea arte Selopos humi deponunt, ut ex jisdem quatuor munitissimæ Arcis propugnacala delineentur: Arcis autem in area variis Signifer vibrationibus vexillum explicat, complicatque; ac postremo Militum reliqui, alii quidem choreas ducunt, alii Equum ligneum conscendunt, seque magna corporis agilitate circumagunt.

MILITVM DVCTOR

Fabius Carandini.

MILITVM INSTRVCTOR

Michael Spinellus.

SIGNIFER

Joannes Dominicus Lomellini.

Jo: Petrus Arrivabene.
Nicolaus Mancinforte.
Octavianus Justiniani.
Ludovicus Baldeschi.
Henricus Testaferrata.
Melchior Falsoni.
Michael Lecce.
Raphael Galeani.
Galvanus Landi.
Ambrosius Serra.
Carolus Serra.
Paulus de Bubalo.
Marcellus Gherardi.
Jo: Philippus Marucelli.
Carolus Albani.
Antonius Sormani.
Antonius Cauriani.
Operandinus Arrivabene.
Ferrantes de Cardenas.
Joseph Gama.
Joannes Gama.
Lactantius Lactanzi.
Joannes Baptista Bolognini.
Dionysius Toruzzi.

CHOREAM DVCVNT

Ludovicus Baldeschi, Melchior Falsoni.

EX EQVO LIGNEO LVDVNT

Hercules Oddi, Leonardus Tempi, Nicolaus Capece.

ARGUMENTUM
ACTUS TERTII.

Gratulabatur sibi Pantocrator extincto, ut audierat, perduelli reo: cum ecce tibi coram adesse illum videt lætum, ac mutato cultu. Accedebat nimirum, ut Regi gratias ageret, quem placatum Theander affirmaverat. Stupet Rex mirum in modum. At multò magis obstupescit, cum periisse ipsum Theandrum audit, ac necem pro amico subiisse. Ira, furore, odio, amore percitus & jactatus diu, eò demum adducitur, ut in Theandri honorem Protoplasto, ejusque liberis ignoscat.

ACTUS III.
SCENA I.

Pantocrator, Dicasimus.

Pant. REUS imperatas num dedit pœnas? *Dicas.* Dedit.
Pant. Et nesciente filio? *Dicas.* Factum id reor.
Pant. Bene habet. Patronus ille ne nobis reum
Subduceret, severa ne jussa, & manum
In mitiorem flecteret partem, hactenus
Timuisse fateor. Scilicet miros habet
Natura sensus! Tela jam fermè mihi
Extorserat, jam placidus, & clemens eram,
Positoque genitor judice ad veniam impio
Dandam ferebar. Sic fit, evelli nequit
Amor paternus. *Dicas.* Comprimi tamen is potest,
Debetque, cum justitia, cum leges jubent.

SCENA II.

Protoplastus, Pantocrator, Dicasimus.

Pant. QUis ille! *Dicas.* Superi. *Prot.* Genibus advolvar fine.
Pant. Scelerate, vivis? *Prot.* Munus hoc, Princeps, tuum est.
Pant. Quis tibi catenas abstulit? *Prot.* Frater. *Pant.* Vides
Quò nos Theander adigat. Unde autem nova
Vestisque, & oris habitus, & formæ nitor?
Reumne cultus hic decet? *Prot.* Amicum decet,
Ac restitutum gratiam in veterem. *Pant.* Vide
Ut improbus lacessit, ac nobis malè
Insultat! Unde gratiam, & veniam tibi
Tandem arrogasti? Quis tibi hanc spem, quis fidem
Fecit? *Prot.* Theander. Ille mutatum, & suis
Te mitigatum precibus asseruit: fidem
Habui asserenti. Quòve dubitarem minus;

Fidei

Fidei, & amoris pignus hoc nobis dedit,
Hac ille credi tessera voluit sibi.
Pant. Hæc gemma nati est. Nempe non vanus mihi
Hoc animus augurabat. Infelix amor,
Tibi, mihique, nate, funestus? Foves
Hostem parentis, ac tuum. *Dicas.* Et amori nimis
Indulget, ac ne pergat, & fontem neci
Eripiat, aut vim forte majorem paret,
Precibus repulsis, provide. *Pant.* Aspectum fuge,
Atrumque repete carcerem, pœnas statim
Meritas daturus: debitam, ut jussi, necem
Præsens venenum properet: ac factum id modo
Renunciabat lictor: unde isthuc moræ est?
Obstare si quis ausit, ac morti reum
Eripere tentet, capite, vel natus, luat.

SCENA III.

Pantocrator, Dicasimus.

Dicas. SI quid morarum, si quid est periculi,
Causa est Theander. Hic reum enixè cupit
Servare, & illum capite non dubitet suo,
Sic est amor, redimere. Quin, illud putat
Sibi decorum, pro reo, & misero mori.
Pant. Istud videndum, nequis aut furor, aut amor,
Abducat illum longiùs. *Dicas.* Nunquam est satis
Provisum amorem contra. *Pant.* Et id rectè facit,
Dulce ac decorum cum sibi, ac nobis, putat
Servare miseros: Patre quod dignum est, sapit.
At sancta legum jura servari tamen,
Clementiæque decuit imponi modum.
Dicas. Eubulus autem... *Pant.* Quo gradum celerem rapit?

SCENA IV.

Eubulus, Pantocrator, Dicasimus.

Eub. HEU Rex! periit. *Pant.* Perire debuerat prius.
Eub. Natus... *Pant.* Precari desinat tandem. *Eub.* Periit.
Dicas. Quid iste gemitus? *Pant.* Loquere: quis... *Eub.* Natus periit.
Pant. Periit Theander? *Eub.* Ipse semianimis jacet
Repertus ipso in carcere. *Pant.* Ah fili! Necem
Quis nam intulit? Sibine violentas manus
Ipse attulit? *Eub.* Amor potiùs optanti attulit.
Modo Protoplasti sumpserat vestem, & locum,
Noctem per atram dum reum lictor putat,
Et vim veneni frigidam ignarus jubet
Ebibere, lætus hausit, exanguis jacet.
Pant. Ah nate? Sic nos fallis, & sic hostem amas?

Eub. Reperta tantum eſt littera; ipſius manu
Signata, ſcripta ſanguine. *Pant.* Infelix Pater?
IGNOSCE GENITOR, NATUS HOC MORIENS ROGAT.
Vivat ſceleſtus? Egone ut ignoſcam? Neces
Per mille rapiam potiùs. *Eub.* Hoc natus rogat
Unumque poſcit. *Pant.* Filii ultorem vides.
TIBI SIT ILLE FILII, GENITOR, LOCO,
SI NOS AMASTI. Filii ut mihi ſit loco
Servus, rebellis, proditor? *Eub.* Natus rogat.
Servo negas, rebelli, & ingrato negas,
Da Filio, te natus, & moriens, rogat.

SCENA V.

Protoplaſtus, Alexius, Carilus, Pantocrator, Dicaſimus, Eubulus.

Pant. TEN parricida video? *Prot.* Tibi ſiſto reum,
Princeps, fatentem. *Pant.* Quis ſatelles impium
Haurit cruorem, mille quis diro neces
Capiti rependit? *Prot.* Crimen hoc non eſt meum,
Sed amoris: in me confero totum tamen,
Ultroque mortem deprecor: pœnas trahe
Meritum per omnes, dira ſupplicia ingere.
Pant. Scelerate? *Prot.* Fateor ſceleris haud iſthuc parum eſt,
Quod ſic amari potui: at hoc ipſum tamen,
Et ſi quid ante ſceleris admiſſum eſt, precor,
Ignoſce nato, ſi mihi, ut merui, negas
Ignoſcere: illud filius moriens petit:
Al. Car. Ignoſce. *Prot.* Tum, ſi perditum me vis, ſeca,
Diſtende, lacera, ſanguine & noſtro rogum
Perfunde gnati, ſic juvet amicum ſequi.
Eub. Ignoſce, *Pant.* Quò ſe, quò meus vertet dolor!
Sævire nequeo, gnatus hoc moriens vetat:
Reumque propria morte ſervari jubet.
Ergo ille ſic inultus evadet? Meo
Dolore ſic fruetur, & nati nece?

SCENA VI.

Protoplaſtus, Alexius, Carilus, Eubulus.

Eub. SPerare jubeo. *Prot.* Moriar, hoc unum precor
Speroque. Noſtrum luere ſic fas eſt ſcelus:
Eſſe innocenti ſic licet. *Eub.* Veniam annuet,
Pacemque Princeps. *Prot.* Sic parentare optimis
Manibus, amico ſic litare, & gratiam
Referre præſtat: ſanguinem, & vitam dedit,
Vitam, & cruorem debeo. Ut moriar fine,
Superque amici corpus incumbens cadam
Confoſſus alto vulnere. At fruſtra tenes.

Eub.

Eub. Quin vive amico potius. *Prot.* Ut vivam? *Caril.* Has vices
Unas Theander postulat. *Alex.* Vive, ah Pater!
Prot. Vivam sceleſtus? *Eub.* Si male perire obſtinas,
Perierit ille fruſtra, & incaſſum necem
Vicariam Theander obtulerit patri.
Perire, modo tu viveres, tanti huic fuit.
Alex. Hoc, ille cur occideret, hoc unum fuit.
Regi advolutus, gratiam, & pacem roga.
Caril. Dicaſimus ecce properat.

SCENA VII.

Dicaſimus, Eubulus, Protoplaſtus, Alexius, Carilus.

Dicaſ. AD ſeſe evocat,
Jubetque Rex adeſſe. *Prot.* Placatus? *Dicaſ.* Furor
Paulùm remiſit, filio vos, & ſcelus
Donare ſtatuit, moxque reſtituet gradu
Primo repoſtos: credite. *Prot.* O miras vices?
O reſtitutam perdito generi tua
Vitam, Theander, morte! *Alex.* Lucem candidam!
Caril. O dulce nomen! *Alex.* O Theander! *Caril.* O amor!
Prot. Nati, per illum vivitis, at illi mori
Hoc reſtat unum deinde, & illi vivere.
Alex. Vivemus illi, genitor, & ſi quà viam
Fortuna felix aperit, ac dexter polus,
Moriemur illi. *Caril.* Tene sìc noſtra mori
Cauſâ, Theander! *Prot.* Quam dedi vitam, volo
Reddatis illi. *Caril.* Quid, Pater, vitæ brevis
Uſura profuiſſet, atro in carcere
Si fæda ſcelere vita perpetuos foret
Inter labores, mortis & diræ metum
Trahenda? *Alex.* Quid te, genitor, ò luce hac mihi
Carior, adempto, vita juviſſet? Salus
Nunc parta nobis, parta libertas, Pater
Demum ipſe natis redditus, nati Patri.
Caril. O nos beatos, ò diem fauſtam! *Alex.* Lues
Sanata diri ſceleris, infamis nota
Deterſa, pulſus hoſtis. *Prot.* Uni hæc omnia
Accepta, nati, fertis: *Caril.* Hic noſtros ſibi
Æternum amores vindicat. *Alex.* Servet ſibi
Habeatque. Frater, quid tibi eſt animi? *Caril.* Hoc dolet
Superſtitem quod iſta me cernat dies,
Necdum Theandro moriar. *Eub.* At tu? *Dicaſ.* Priſtina
Omitto tandem jurgia, & tecum libens,
In gratiam redire me fateor: nefas,
Ubi mitigatus odia Rex poſuit, meam
Ulterius iram pergere: amplexum cedo.
Vos ite Regi ſupplices, priſcos metus
Exuite, certa eſt venia, merori, malis,
Belloque, pax, & longa ſuccedet quies.

FINIS.

Tra-

Tragica jam Fabula peracta,
Roma redit in Scenam,
Præeuntibus, ut in Prologo, ejusdem Urbis quatuordecim Vexilliferis,
qui præmia etiam deferunt,
præstantissimis in Rhetorica, in Humanioribus litteris, & in Grammatica,
Seminarii Romani Scholasticis
donanda.

R O M A.

BENE habet: abunde est: vota vicistis mea:
Virtute macti, & pergite.
Talibus alumnis Roma nil veteri nova
Concedat: & priscæ nihil
Scenæ requirat decora, cum rosam, & crocum
Perambularent Fabulæ.
Spectator eruditus quod vobis diu
Silentium, & plausum dedit;
Ille, ore tacito quem gerit præ se, favor
Hæc vestra sunto præmia.
Nunc alia nobis, quæ ferax Pindus tulit,
Sunt dividenda præmia.
Doctarum habetis, en, coronas frontium
Parnassii spolium jugi.
Has capite, vestra dividi actutum manu,
Ut quisque prodibit, placet.
Quemcumque Musa potior, & meriti arbiter
Apollo, Victorem offeret,
Hunc festa late tympana, & tubæ, & lyræ,
Vocesque Victorem canant.
Illius ipsa nomen, & memori decus
Auroque, cedroque imprimam:
Jubebo fastis inseri: hoc dorso alite
Æterna Fama devehet:
Adamante puro sculpet Historia, & procul
In longa mittet sæcula.

Qui in Arte Rhetorica cæteris præstiterunt, publicoque sunt præmio donati in Seminarii Romani Theatro.

Primū premium pro soluta numeris oratione consecutus est COLOMANUS HAMERANI SEM. ROM. ALUMNUS.
Secundum præmium AUGUSTINUS GRIMALDI.
Primū premium pro vincta numeris oratione JOANNES A VERAZZANO
Secundum præmium JOSEPH DURAZZI.
Primum præmium pro conscribendis latinis Epistolis JACOBUS AIROLI.
Secundum præmium pro conscribendis Italicis Epistolis LAURENTIUS BONZI.

Qui

Qui in Humanioribus litteris præ ceteris ad eandem Præmiorum distributionem sunt appellati.

Ad primum præmium pro soluta numeris oratione JOANNES PETRUS ARRIVABENE.
Ad secundum præmium CAROLUS ALBANI.
Ad primum præmium pro vincta numeris oratione GEORGIUS BOSDARI.
Ad secundum præmium HIERONYMUS HERBA.
Ad præmium pro conscribendis Epistolis JOANNES PAULUS SEBASTIANI SEM. ROM. ALUMNUS.

Qui in suprema Grammaticæ Classe præmium sunt adepti.

Primum præmium pro soluta numeris oratione CAROLUS SERRA.
Secundum præmium OCTAVIANUS JUSTINIANI.
Primum præmium pro vincta numeris oratione CAROLUS PORRO.
Secundum præmium JOANNES GAMA.

Qui in secunda Grammaticæ Classe præmium obtinuerunt.

Primum præmium Comes CAROLUS ALBANUS.
Secundum præmium JOANNES PHILIPPUS MARUCELLI.
Tertium præmium PAULUS DE BUBALO.

Qui in infima Grammaticæ Classe premium sibi compararunt.

Primum præmium sibi comparavit MICHAEL SPINELLI.
Secundum præmium sibi comparavit OPERANDINUS ARRIVABENE.

Unus ex Actoribus. Sic litterarum gloria, & vivax honor
Floret. Jacent artes, nisi
Stimulus amicæ laudis, & spes præmii
Blandum laborem mulceat.
Rom. Sic est. Abire rixa me cogit gravis:
Illam excitastis. Audiit
Quicumque doctis artifex studiis viget,
(Quæ multa viget hic natio)
Qui sacra superum jura, legesque explicat,
Et cælitum ritus docet;
Arcana qui naturæ, & ignotas pede
Rimatur incerto vias;
Qui ducit ora marmore in vivo, & rudi
Spirare saxo mortuos.
Jubet; æra molli rigida qui cœlo polit:
Hos ardor omnes æmulus
Excivit: audivere quid vestrum modo
Strueret lyceum. Libera
Invasit animos omnium indignatio:
Laudare quem Phæbus potest,

Laudare nobis, inquiunt, promptum eſt, neque
Concedimus Phæbo : nihil
Hic verba preterdonat, & inanes ſonos,
Scenæque fulgorem brevis.
Nos opera, ſeri quæ nepotes prædicent,
Ætaſque miretur vetus,
Queis parcit ævi livor indocilis, damus:
Nec blanda nos merces movet,
Et præmiorum certa ſpes animos rapit;
Satis Beati Principis
Ornavit artes, præmii ſatis dedit,
Prolixa liberalitas:
Huic nos referre gratiam, ut par eſt, juvat,
Laudeſque juſtas pendere:
Nec ſolus iſta laude Phæbus gaudeat,
Reliquas & artes prægravet.
Nos iſta lex officii, & obſequii movet.
Sic artium præſes cohors
Veſtri æmulata gloriam Pindi, fremit,
Litemque vobis irrogat.
Ibo, innocentis jurgii ut cito comprimam,
Vel potius accendam, faces.

Unus ex Actoribus. Neque nos pigebit, quamlibet pacem colant,
Muſæque rixas oderint,
Anſam huic dediſſe jurgio. *Rom.* Faxit polus
Superique faciles annuant,
Europa, ſævi Martis ut tandem immemor
Hæc bella duntaxat gerat.

Haſtatis ſecuribus ROMÆ in Scenam redeunti
Viam ſternunt
Julius A Vulpe. Nicolaus Capece.
Finem facit
C H O R E A
Philippi Inſaghi.
Joannis Baptiſtæ De Mari. Joannis Nanti. Ludovici Baldeſchi.

CLE-

CLEMENTI XI.
P. O. M.

SEMINARII ROMANI RHETORES

FOELICITATEM.

CLEMENTEM XI è Vaticanis roſtris dicentem ad Populum, exhibuimus, BEATISSIME PATER. Supereſt ſolùm, ut poſt exhibita Romæ ſpectacula, auguſtum aliquod Tibi, hoc eſt tanto par Principi, ſpectaculum exhiberemus. Tuum igitur in conſpectum damus Romanos illos Pontifices, cum quibus communem habes dignitatem & nomen: adderemus etiàm virtutem, niſi quòd

quòd eo solùm consilio Prædecessores Tuos laudibus exornandos suscepimus; ut, quamvis inviti, abstineremus à Tuis: rati, gratissimum Tibi futurum silentium nostrum; quantùm modestiæ Tuæ ingratum accidit Laudantium murmur, & strepitus. Et quidèm nostræ lactentes quodammodo, & teneræ musæ non ità facilè contineri potuerunt; ne laudum argumenta desumerent; unde patebat major laudandi materies, & copiosior virtutum seges offerebatur. Vicit tamen obsequium erga Te nostrum: vicit audaciam voti modestia Tua: evolutisque veterum Pontificum fastis, eorum gesta laudamus, quos olìm laudavit Antiquitas: Virtutes verò Tuas, à quibus certam Europæ salutem, atque adeò Catholici Orbis fœlicitatem præsens ætas expectat, aut tubis grandioribus, aut, si semper aversaberis laudes, exornandas Posteris relinquemus. Et quoniam litterarium hoc nostrum solum, & avitam nostri stemmatis Sylvam Pontificia Tui Patrocinii umbra defendis, & Gentilitio Syderis Tui influxu ad fertilitatem invitas; id unicè oramus: ut eà, qua cæteras artes, in Capitolio quodammodo repullulantes, benignitate complexus es, eàdem etiam in Seminarii nostri solum benevolentiæ Tuæ fontes affluentèr adeò derives; ut Tuum BEATISSIME PATER beneficium sit, nunc quidem, si studia nostra reflorescant: posteà verò, si, perductis ad suam maturitatem frugibus, tanti Principis culturæ respondeant.

CLE-

CLEMENS I. P. M.

Incolumem Matri servat filium, qui undis supervenientibus in ipsius Templo remanserat.

ELEGIA.

GRANDIA Clementis surgebant Æquore in alto
Angelicà nuper condita templa manu.
Una dies tantùm hìc votis conceditur, illà
Elapsa, reduces regrediuntur aquæ.
Immista huc reliquis, magna & comitante caterva,
Cum puero venit solvere vota Parens.
Immemor at nati genitrix, vestigia tardum
Sive sequi credat, tecta relicta petit.
At puer in scopulo desertus arundine pisces
Captat, consuetos instituitque jocos.
Noctifer interea surgebat Vesper Olympo,
Salsaque desertas occupat unda domos.
Ut vidit vitreas in stagna liquescere rupes,
Seque puer mergi, jam superante freto;
Hinc fugit, inde redit: subitò modò territus hæret:
Quærit &, unde viam nulla retardet aqua.
Auxilium vocat ille Patris, vocat ille Parentis:
Sed tamen, auxilium qui dare possit, abest.
Quid miser hìc faciat? Nullam sperare salutem
Fas est: spes misero non erat ulla fugæ.
Templa ergo Matrem quærens deserta revisit:
Sub mare sed refluo templa sepulta jacent.
Interea Genitrix nati memor aspicit, ultro
An veniat passu post breviore puer.
Ast ubi mæsta suum redeuntem è littore natum
Non videt, illa redit: sed negat unda viam.
Unda etenim sacram fluctu submerserat ædem,
Atque oculis olli nil nisi lympha patet.
Extinctam ut credit prolem; diu flevit, & unda
Cum rapida fletus miscuit illa suos.
Totum Phæbus erat cursu dimensus olympum,
Clementi sacrum reddideratque diem.
Ad Templum Prolis Mater non immemor, ossa
Ut saltem reparet luce ineunte redit.
Jam Mare tranquillum placidis excesserat oris,
Incolumem natum cum videt ista suum:
Ilicet accelerat gressus, bis terque repertum
Amplecti tentat, terque repressa manus.
Tene igitur, nate, aspicio, vel prolis imago
Venisti culpas insimulare meas?
Ergo! Sed ut veros vultus cognovit & ora;
Te incolumem reddit quis mihi care puer?
Ah nosco: incolumem mihi nunc te reddit ab undis

Clemens: Clementi debita vita tua est.
At quoniam in nato Genitrix vivente revixit;
Cum salva vivat jam tibi prole parens.

Jacobus Maria Ayroli Sem. Rom. Conv. & Rhetor. novus.

CLEMENS I. P. M.

Cum Anchora collo illigata in Mare demergitur.
Anchoræ in Corallium

METAMORPHOSIS.

UNDE rubens primùm salsis provenerit undis
Arbor, & incultis pretiosa Corallia ramis
Ditarint Scythicum, Nymphis mirantibus, æquor;
Expediam. Tu Dive (tuo nam Numine, Clemens,
Explicat obliquos pro dentibus Anchora ramos.)
Huc ades: & nostris fælix allabere cæptis.
Quà sese Euxina miscet Mæotis in unda,
Cæruleos latè medio secat æquore fluctus
Assurgens tellus, quam, ni brevis ambiat Isthmus,
Insula parva foret. Clemens hìc, Urbe relicta,
Pulsus ob invidiam tacitos inglorius annos,
Ingentes ultro jam dedignatus honores,
Paupere vivebat tecto, exiliumque ferendo,
Dulce sibi effecit, nec iniqua mente ferendum.
At non, Romulea quamvis distaret ab Urbe,
Et quamvis proprio distaret Pastor ovili,
Divisus pecori est, curasque oblitus ovilis,
Errantes etenim pecudes, sit quamlibet exul,
Cogit, & invigilans proprium in præsepe reducit.
Invidit Latiæ Dominator barbarus Urbis,
Utque gregem perdat, demersum perdere in undas
Custodem jubet, & spes assurgentis ovilis.
Fortè sacro Indigenas lustrabat flumine Clemens,
Et sacras leges, Fideique arcana docebat;
Cum Lictor latii jussum crudele Tyranni
Intonat, & certas sævus denunciat iras.
Audit, & arridens sorti, Lictoris in ulnas
Se dat sponte sua, tandemque, ò funere acerbo
Occumbam, dixit. Quæ Crux, quæ debita nostrum
Dic age, pœna fero lacerabit vulnere corpus?
Hæc nostræ spes una fugæ, verumque malorum
Solamen fuerit, miseros quod finiet annos.
At vos, ò Socii, modò quos jam linquere fas est,
Ite ite, & fortes per mille pericula vestras
Objectate animas, sævæque occurrite morti.
Non mors illa dabit mortem: vos vita manebit

Alte-

Altera, quam nulli poterint violare Tyranni.
Talia dicebat, palmasque ad sydera supplex
Tendere cum vellet, palmas post terga ligari
Sensit, & ingenti curvari pondere collum.
(Pondus erat flexo pendens gravis Anchora collo)
Tunc fortunatum nimium nimiumque beatum
Se Clemens læto ore vocat: furit improbus ira
Miles, & æquoreas raptatum sævus ad oras
In medias immergit aquas; ceu fulmen ab alto
Ille ruit præceps, donec jam fixa profundo
Anchora jactatum medias detraxit in undas.
Nereus excepit corpus, tumulumque marinis
Instravit Conchis, fulvoque intexuit auro.
Illa diu gravitate sui detenta sub undis
Hæserat: haud illam sævæ versare procellæ.
Nec rigidæ potuere hyemes: radice moratur
Firma solo, serpitque tenax per viscera terræ:
Quæque priùs curvos nectebat brachia ramos
Anchora, nunc cespes pandit sua brachia ramos.
Utque rubescebat multa rubigine ferrum,
Nunc etiam retinet, quamvis mutata, ruborem.

Joannes à Verrazzano Sem. Rom. Conv. & Rhetor novus.

CLEMENTIS I. P. M.

Sub Daphnidis nomine mortem Damon deflet.

EGLOGA.

FORTE' sub umbrosa consederat ilice Damon,
Quà rivus tremula surgebat vitreus unda:
Hic postquam longo defunctum Daphnida luctu
Deflevit Pastor; sic vocem in verba resolvit.
Daphni decus nemorum: Pastorum gloria Daphni,
Me tibi quis subitus Deus abstulit? Aspera nigro
Turbine non aliter grando populatur aristas:
Non aliter tepido lactens rosa carpitur Austro.
Hoc fuerat, dum nostra suos tibi traderet agnos
Insula, quod sicca prædixit ab ilice cornix.
At tu sive datum dedignareris honorem:
Seu tibi venturi mens esset præscia fati;
Pascat oves, memini, dixisti, pascat Amyntas,
Aut Linus; aut Cletus: lævi quorum alter avena
Mulcet oves: alter teneros educere fœtus
Novit, & infestos prohibere ab ovilibus Ursos.
Sive Linus, seu Cletus, oves seu pascat Amyntas;
Errabunt sylvis tuti cum matribus agni:
Cumque hædis tutæ tondebunt prata capellæ.
Et tamen in sylvis etiam sub Daphnide tutæ

 Erra-

Erraſtis, pecudes : etiam ſub Daphnide tutæ
Tondebant querulis cum fœtibus arva capellæ.
Non illis unquam virides nocuere colubri :
Non lupus, aut plenis inimicus ovilibus Urſus.
Quin etiam, arentes cum Sirius ureret agros,
Et ſylvis deeſſent frondes, & fontibus vndæ;
Reddebat frondes ſylvis, & fontibus undas;
Majorique dabat decurrere flumina rivo.
Tu mihi, qui querulo labens cum murmure, dulcè
Obſtrepis, & pura fugiens argenteus unda
Vicinas ſylvas, vicinaque gramina luſtras,
Rivule, teſtis ades: Tu marmor inutile quondam,
Nec fueras niſi nuda ſilex : Inimica negabas
Et pecori hoſpitium, & pecoris cuſtodibus umbram:
At poſtquam arbuteæ ſenſiſti vulnera virgæ,
Et tetigit te Daphnis; aquæ venere vocatæ
Ilicet, & juſſis ſtrepuit fons vitreus undis:
Et juſſo impuras abſterſit fonte capellas.
Quod ſi rurſus aquas tibi Sirius auferat: & ſi
Quas dedit ille tibi, lymphas ſiccaverit æſtas;
Unde tibi amiſſos reparabis fonte liquores?
Daphnis abeſt: medio tumulatur in æquore corpus:
Cui tumulum poſuere Deæ Nereides: omnis
Huc Paſtor pia dona ferens properabit, & unda
Decedente; ſacro venerabitur oſſa ſepulcro.
Parte tamen meliore ſui ſuper aſtra ſuperſtes,
Nunc alias ſylvas habitat, melioraque noſtris
Rura colit, vivitque alio ſub ſole beatus.
Non æſtum timet ille gregi, rigidoſque Decembres:
Non oculum metuit, teneros qui faſcinet agnos.
Vos ò vos viduæ valles, fluviique loquaces,
Aerei montes, atque hoſpita montibus Echo,
Lugete æternùm. Paſtorum gloria Daphnis
Occidit, & veſtro periit cum Daphnide ſplendor.
Ut vitis decori eſt ulmo ſociata marito:
Ut muſcus fonti, vel pallida populus amni:
Ut valli decori eſt, tremulo qui gurgite rivus
Lactentes teneraſque rigat cryſtallinus herbas:
Sic Daphnis decori ſylvis fuit. Ærea falſo
Anchora ſed poſtquam demerſit Daphnida fluctu;
Nec vitis decori eſt ulmo: nec populus amni:
Nec fonti muſcus: nec fons cryſtallinus herbis.

Joannes à Verrazzano Sem. Rom Conv. & Rhetor novus.

CLE-

CLEMENTIS I. P. M.

Templum Martirii die; recedente Mari, adeuntibus aperitur.

EPIGRAMMA.

ANCHORA naufragium medio parit æquore CLEMENS,
Jactatas norat quæ retinere rates.
Sed tua dum veteres nunc exuit Anchora mores;
Miranti discit tradere jura mari.
Isacidum Pubes vidit pendere procellas,
Imperium virgæ cum maris unda tulit.
Anchora sed veteris vincens miracula virgæ;
Naufragio in medio sæpè recludit iter.

Laurentius Grimaldi Sem. Rom. Conv. & Rhetor novus

CLEMENS II. P. M.

Breve somnium, seu brevis Orbis fœlicitas.

PHALEUCIUM.

VIDIT syderea miserta ab ara
Obscœnum Pietas verenda virus
Infernis reducem diu catenis
Ejectare luem, nefanda sacro
Quæ figit pretium Dei cruori,
Et sanctum redimens avara munus,
Quod nescit pretium, locaret auro.
Vidit Teutonica nefas in aula
Plusquam polybapho rubere fuco,
Dum plusquam Getico Tyrannis ense
Atrox nobilius petebat ostrum,
Quærens dedecori decus sub ostro.
In dignos abiit repulsa questus
Et questus in opem fidelis armat.
Æternæ latebras corusca mentis
Longævas radio legit futuro,
Sed mens luctificum premebat Orbem.
At non perpetuo catena nexu
Luctus ter querulum gravabit Orbem,
Sit monstris aliquis modus cruentis,
Et fato redimat diu negatas
Pax horas acrior volente cœlo.
Mox vivat breve somniumque Mundns.
Vix hæc, luctifici secundus Orbis
Jussusque Imperium subire CLEMENS.
Olli Teutonicas diu per umbras

 Visum

Visum errare nefas, gemensque miris
Per noctem tenebras movere formis,
Visus parte Polus tonare læva.
Labes augurium Tonantis horret,
Et præceps solio repulsa ab alto
CLEMENTI arbitrium sub orbe cessit.
Nil hæsit, cupidi decusque Regni
Henrico addidit in Troni decorem.
Suos Relligio videt triumphos,
Grataturque sibi, Polumque linquit,
Authori ut meritas vices rependat.
Et jam Romuleas tenebat arces;
Nummatum media sub arce monstrum
Venales adhibere sentit agros,
Mitratosque lares, gemit, minasque
Fœcundas quatiens superba pœnis,
Detestatur opes manu rebelles,
Et Monstrum vacuos alens furores
Victrix Tænariis coercet umbris.
Partis impavidus sibi triumphis
Devictisque Polo superbit Orbis
Regnator famuli infulatus Hæros,
Lætatur Pietas, satisque mundo
CLEMENS consuluit tumultuoso,
Æternæ validumque legis omen
Negat Pace frui remotiori.
CLEMENS eripitur, senescit Orbis;
Unum de Lue somnium triumphat
CLEMENS unica somniique origo.

Julius à Vulpe Sem. Rom. Conv. & Rhetor Veteranus.

CLEMENTIS II. P. M.

ELOGIUM.

Pontificio inauguratur imperio
CLEMENS Secundus,
Ut Primo Pontificatus anno
Regnare desinat.
Novum fortunæ onomasticum,
Imperium donat,
Ut
Imperio exuat.
Patitur in Subditos Regnantis Imperium,
Ut mortis subsit Monarchico.
Ne quæras in CLEMENTE plusquam Pontificem,
Dum Pontificem non vixit,
Nempe Pontificis diuturnitatem.
Orbi concessus in pœnam,

Ut

Ut acriùs optaret extinctum.
Sceleribus objectus
In scelerum fælicitatem;
Violentiùs coercita
Violentius haustura gaudium
Præterita calamitatum recordatione.
Aliquid tamen morti debetur,
Non eripuisse,
Nisi sensisset
Quid esset regnare;
Nisi novisset, se addictum Orbi,
Qui suo virteret sub Imperio,
Suo sub dominatu
Juvenesceret in virtutem.
Nisi dicendum velis,
Abstinuisse à Privato,
Ut magnificentior sæviret
Fœlicitatum in cumulo.
Novit Henricus,
Cui Germanum à CLEMENTE oblatum Imperium,
Quid impertiri posset maturus,
Si Tiro largiretur Imperia.
Conjuravit properata mors,
Ambigens,
Ne sibi nobilius usurparet Imperium,
Vitæ scilicet,
Et suum;
Unde cogeretur à Perituro
Pereundi expetere facultatem.
Utrum famulatæ virtutes sint,
Ne quæras.
Habet Ostrum,
Vnde alliciat,
Vnde blandè cogeret
Habebat CEMENS Secundus
Secundus nemini
Extimuit Regnaturum labes,
Quæ iners Christi Sanguinem emit,
Quo venalis à Christi prohibenda aspectu.
Trahit quasi in vinculis Agnum
Quòcumque pergit,
Agnum in Cælo non sequutura,
Quòcumque ierit.
Parui pendit Christi Sanguinem,
Si pretio subhastat prodiga,
Et pretium demit
Esse in pretio
Medium.
Quid agendum supererat,
Nisi mori?

Ut

Ut, quod deponebat Imperium,
Nobilius pararet in Cœlo?
Diademate dignus
Cujus effluebant è manibus
Vel Diademata?
Quid optaret moriturus,
Nisi pretio potiri,
Cui denegarat pretium?
Quid expeteret viduus Orbis
Nisi parem?
Quem cum fœnore optasset,
Optione librata futurorum,
Nisi CLEMENTEM UNDECIMUM?

Comes Julius à Vulpe Sem. Rom. Conv. & Rhetor Veteranus.

CLEMENS III. P. M.

Christianis Principibus Hyerosolimitanam expeditionem suadet.

CARMEN.

Ergone, Divino maduit quæ sanguine tellus:
Quæ, Puero dignata Deo, dilecta Tonanti,
Incedit Regina Orbis, Reginaque Cœli,
Es terris major sibi plaudit, major & astris.
Nunc Scythicis oppressa gemet per sæcla catenis,
Et feret Odrysiæ signa insultantia Lunæ?
Non ita. Vos ò vos, Populos qui lege tenetis,
Magnanimi Reges: quos supplex Orbis adorat:
Quos tellus, pontusque tremit, date carbasa ventis:
Armatæ spument per Cypria Cœrula puppes,
Et facer Isacias Mavors excendat in oras.
Eja agite, & justos laudanda in bella furores
Concipite,ò Proceres, magnum olim in nomen ituri.
Nunc animis opus est: nunc illas promere vires,
Queis quondam, dum bella juvant,Martisque furores,
Fœdastis Latios per mutua vulnera campos.
Ergo agite, ò Reges: socias convertite classes,
Quò vos Terra vocat, Puero dignata Tonante:
Quòve catenatus captivas devehit undas
In Mare Jordanis, Geticoque invita Tyranno
Heu! debellatas palmas submittit Idume.
Si consanguineis Europam scinditis armis;
Dicite, quæ vestris accedet gloria Turmis?
Quosve canet vivax post funera fama triumphos?
Silicet hoc ingens decus est: hæc gloria solùm
Ad seros veniet post ultima fata Nepotes;
Vestra Palestinam redimant si prælia Terram.
Quæ mora Romanas Aquilas: quæ Lilia tardat?

Quæ

Quæ mora Victores ingloria tardat Iberos?
Jam Pifæa volet Tyrrheno remige claffis:
Jam Siculum fpumet, remis ferientibus, æquor.
Tuque etiam, ò quondam fedes auctura Beatas
Regibus, & magnis auctura altaria Divis,
Anglia, fterne rates Pelagoque immitte fereno.
Sic non ulla, fuis quam circumplectitur undis
Nereus, belligera certet tecum Infula laude.
Et dubitatis adhuc Reges? Vocat ecce fecundus
Vela Notus, pofcitque rates: Pontufque fuperbit.
Tam fanctum lfacias bellum tranfmittere in oras.
Non deerunt tantæ laudi fua proemia: Veftris
Accedet Solime titulis, accedet Idume.
Veftra erit hæc tellus: & veftris ferviet armis.
Hæc belli merces; dabit altera proemia Virtus.

Laurentius Pius Bonzi Sem. Rom. Conv. & Rhetor novus.

CLEMENS III. P. M.

Pacatis Europæ motibus Chriftianorum Principum arma in Paleftinam expeditionem convertit.

CARMEN.

UT primum triplici fulgens terrore Poteftas
Preffit adoratum Populis Caput: Orbis & arcem
Implevit CLEMENS, vafti fpes Tertia Mundi;
Forte Senex, cujus menti moderator Olympi
Se totum fpectare dabat, flammatus ab alto,
Prodere venturi cœpit præfagia Regni.
Macte, ait, à fummo Majeftas prima Tonante
Macte animis Cortina Deum; Te Præfide, Tellus
Quo fuperis vix cedat, habet; pacemque per oras
Dividit, & flavo placat fera fæcla metallo.
Nec dum pugnaces animos, nec ponitis arma
Regnantum cognata manus? Non frangere veftra
Pectora, non avidos fraterni fanguinis enfes
Ignea Semideæ potuerunt fulmina linguæ?
Arma tenete tamen; junctis nam concita fignis
Agmina ab Europa Solymum devolvit in hoftem
(Sic fuperi volvere) Pater: Quas Gallia mifit
Tempora quæque fuis fignare affueta triumphis,
Quafque Ifter dominus, quas lauro confitus Albis,
Quas aquilæ invicto vallarunt fulgure, Gentes.
In certam coiere fidem; decrefcit in haftas
Hercinia, & Geticos Arduenna hoftilis in angues
Gaudet quadrupedum latebras armare ferarum.
Non equidem fruftra eft, quòd pallida tendis Idume
Vincula cum manibus: quòd Cœlo debita monftras

Thura

Thura, & Bistonio squalentes turbine palmas;
Jordanisque pater, quòd nudo abjectus in antro
Urnam auget lacrymis, & toto flumine luget:
Aspice quàm vasto, depressus pondere Nereus
Occidua sub classe gemat! Quantoque tumultu
Divisere cavæ dextrum sibi Castora proræ!
Quanta venis, quàm fortis! Io, Sydonis ad oras
Gens dilecta Deo; sors Barbara pallet, & Orbem
Eoum tremefacta quatit; dùm littora complet
Ultor, & in tumidam pugnax Ptolemaida pontus
Evomit infestas admota classe phalanges.
Nequidquam, impatiens Bellona, tuisque Gelonis
Nequidquam, Gradive times. Age concute cristas
Improbe, & immissa super altum Casion hasta
Coge Paretonias Latium super agmen Erymnes;
Nam fractus, turpique gemens de vulnere, tandem
Horribili patrium terrebis Strymona planctu;
Littore cum Tyrio Solymas præludet ad arces
Relligio victrix, & solvet sanguine Thracum
Captivo Domini funebria justa sepulcro.
Evenient: meruit CLEMENS & nominis hujus
Numen, & Auspicium. Sic Author dixit Apollo:
Nec mea mens falli; nec fallere novit Apollo.

Joannes Dominicus Bichi Sem. Rom. Alumnus & Rhetor Veteranus.

CLEMENS IIII P. M.

Divum Ludovicum Galliarum Regem ad Christi Sepulcrum recuperandum adhortatur.

EPISTOLA.

O Qui, Regali niteas cum splendidus ostro;
  Obsequii in superos plùs tibi laude places.
Numinis Auspicio nunc indue Numinis iras:
  Et Cœlum ulturas impleat hasta manus.
Aspicis ut placidis subsidant æquora ventis:
  Invitetque tuas pontus, & unda rates?
Aspicis, ut Solime turres inclinet amicas,
  Et nutu fatagat, quod nequit ore, loqui.
Ipsa etiam, exuvias clausit quæ numinis, urna
  Dudum Barbaricas non bene passa manus:
Ipsa tibi hostiles nunc exprobrat urna catenas,
  Obruta neglecto dum latet urna situ.
Illa quidem promptas è Cœlo fulminis alas,
  Illa & sydereos posset habere Duces.
Quos Cœlo posset, Tibi vult debere triumphos:
  Et te pro flammis Numinis, illa vocat.

Ergo

Ergo Duces alii, Regum dum ſigna ſequuntur,
  Nil Martis furias, nil ſua fata timent?
Tu ſuperum vexilla ſequi, palmaſque vocantes
  Vel Cœlo renues ſub duce bella ſequi?
Non ea ſed pietas primis adolevit ab annis,
  Ut Numen nequeas, & data ſigna ſequi.
Ibis: jam palmas fœlix inclinat Idume;
  Dum cupit in crines ſerpere palma tuos.
Ibis: jam Libanus ſylvas inclinat odoras,
  Ut tibi pugnanti protegat umbra caput.
Ibis: jam totis Jordanis panditur undis;
  Sudorem fœlix ut lavet unda tuum.
Plaudit Io! Tellus: Fœlix tibi plaudit olympus:
  Admonet & lentas palma parata manus.
Finge tamen triſti victum ſuccumbere bello:
  Aut dare Barbarico ſubdita colla jugo;
Cur tamen hæc fugias? Tellus dabit illa ſepulcrum,
  Exanimem quondam quæ tulit una Deum.
Divinam dum turba frequens properabit ad Urnam;
  Tu quoque ſuſceptæ pars eris una viæ.
Ergo ſeu victus, ſacris ſeu viceris armis;
  Alterutro ſemper munere victor eris.

Auguſtinus Grimaldi Sem. Rom. Conv. & Rhetor novus.

KAH-

ΚΛΗΜΗΣ Ο ΤΕΤΑΡΤΟΣ
ΑΚΡΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ

Τοῖς ἐγκόνοις ἰδιωτεύειν παραινεῖ.

Τὸ πλῆθος μετέωρα φιλεῖ, μετέωρά τ' ἐπαινεῖ·
Τοὔνομα τῶν μεγάλων, στέμματα τῶν βασιλῶν.
Δύστηνοι ῥα ἐστί, ἀκροᾶσθε λέγοντα τ' ἀληθῆ·
Ἄρρητον γὰρ ἐγὼ χρησμὸν ἔπων πέλομαι.
Ταῦτ' ὀλιγωροῦντ' ἔστω χρήσιμ', ἐπ' ἄστρ' ἀπολάμψει
Τυφλῆς δῶρα τύχης ταρταλέος παρεὸν.
Τμείας μὲν, τέκν', ἀγερωχία πολλὸν ἀναιρεῖ,
Βήματος ὑψηλοῦ ἄξιοι ἐστ', ἀπόχρη.

Jacobus Maria Ayroli Sem. Rom. Convict., & Rhetor novus.

ΚΛΗΜΗΣ Ο ΤΕΤΑΡΤΟΣ
ΑΚΡΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ.

Πρὸς Πέτρον Γρόσσιον ἀπὸ τοῦ Ἁγίου Αἰγιδίου Ἀγαπητὸν υἱὸν
Σωτηρίαν, καὶ Ἀποστολικὴν Εὐλογίαν.

ΟΙ πλούτοις ἐπιγηθοῦσι τῆς ἀξίας μου, ἀλλ' ἐγὼ μόνως τὸ μέγα βάρος, ὅπερ ἐπικείμαι μοι γινώσκω, διόπερ ἐκεῖνο, ὃ τοῖς ἄλλοις χαρᾶς, τοῦ πένθους μοι, καὶ φόβου αἴτιον ἐστί; Καὶ ἵνα γνωρίσῃς τίνα τρόπον ταύτῃ τῇ ἀγγελίᾳ ζῆν σοὶ προσήκει, παρακαλῶ σε, ὥστε, καὶ περὶ τὴν συνήθειαν ἐπὶ ταπεινὸν τῇ καρδίᾳ, ἐπειδὴ ἐκεῖνο ὃ μὲ τῇ καρδίᾳ ταπεινὸν ποιεῖ, τοὺς οἰκείους μου ἐξαίρειν οὐ θέμις, ἄλλως τε τὰς τοῦ κόσμου τιμὰς οὔσας παροισμαίας, καὶ ὡς δρόσου τῆς ἐν τῷ πρωῒ ἀφανιζομένης· χαίρειν κέλευε παρ' ἐμοῦ τὴν Μητέρα σου, τοὺς Ἀδελφούς, καὶ λοιποὺς τοὺς οἰκείους ἡμῶν. Μήτε πρὸς σέ, μήτε πρὸς τὰς Ἀδελφούσας, μήτε πρὸς ἄλλον τινὰ τῶν οἰκείων μου διὰ Ἀρχιερατικοῦ διπλώματος γράφω, ἀλλὰ ὑπὸ δακτυλίου τοῦ ἁλιευτικοῦ, ὡς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἱεράρχαις Ῥωμαίοις ἐπὶ τοῖς ἀπορρήτοις αὐτῶν. Ἔρρωσο. Τῇ Περουσίᾳ ἐν τῇ ἑορτῇ τῶν ἁγίων Περπετούας, καὶ Φηλικιτῆς.

Jacobus Maria Ayroli Sem. Rom. Convict. & Rhetor novus.

אִגֶּרֶת מִיַּר כֹּהֵן גָּדוֹל הָרוֹמִיִּים

קְלֵימֶנְז רְבִיעִי

אֶל־פֶּטְרוּז גְּרוֹזְיוּז עַל־אֵינְדִיוּז
הַקָּדוֹשׁ הַבֵּן אָהוּב׃

שָׁלוֹם לְךָ וּבְרָכָה מֵאֵת נְגִיד הַשְּׁלוּחִים׃
וְאוּלָם שׂוֹשׂ שָׂשׂוּ כִּי רַבִּים וַיִּשְׂמְחוּ
אֱלֵי־גִיל כַּהֲדַר כְּבוֹד גְּאוֹנִי וּכָבֵד אָנֹכִי
יוֹדֵעַ מְאֹד אֶת־הַמַּשָּׂא כָּבֵד הֶעֱמִיסוּ
שֶׁיִּכְבַּד מִמֶּנִּי כִּי הַדָּבָר אֲשֶׁר בּוֹ שׂוֹמְחִים
הֵמָּה אָכֵל גָּדוֹל זֶה־לִּי צִירִים וַחֲבָלִים׃
עַל־כֵּן לְהַשְׂכִּילְךָ כִּינָה שֶׁל בְּשׂוֹרָה שֶׁבָּא
אֵלֶיךָ אֲנֹכִי מְצַוְּךָ כִּי תִתְעַנֶּה תִתְפַּלָּא
וּתִתְחַכֵּם וְעוֹד עַל־רֶגֶל דַּרְכֶּיךָ שֶׁהִסְכַּנְ
הִסְכַּנְתָּה ׃ לָכֵן בְּאוֹדוֹת שֶׁהוֹרִידוּנִי אֶרֶץ
וְהִשְׁפִּילוּנִי רֵעַי וּמִשְׁפַּחְתִּי אֵין תְּרוּם כִּי
אָמְנָם זִיו כָּבוֹד הָעוֹלָם הַזֶּה עָבַר פִּתְאֹם
לְפֶתַע כְּיוֹם אֶתְמוֹל וַיַּעֲבֹר כְּטַל הַשַּׁחַר
מַשְׁכִּים הוֹלֵךְ׃ אֶת־אִמְּךָ וְאֶת־אַחֶיךָ
וְגַם אֶת־כָּל דּוֹדֵינוּ בְּמִשְׁפַּחְתֵּינוּ
תִּפְקֹד לְשָׁלוֹם בַּעֲדִי׃ כִּכְתָבְנִי אֵלֶיךָ אוֹ
אֶל־אָחִיךָ גַּם אֶל־בָּתֵּינוּ לֹא כְּפַתְשֶׁגֶן־הַדָּת
כִּי אִם כְּחוֹתָם הַדִּוְנָא אָחַתֵם בְּתַרְגֶּלֶת
כֹּהֵן גָּדוֹל הָרוֹמִיִּים בְּגָלוּתוֹ סוֹר תְּחִי
הֵיטִיב׃ בְּפֵרוּזְיָא לְיוֹם קְרוּשׁוֹת
פֶּרֶגִּיטוּ אָה וּפֵלִי צִיטָא׃

Comes Pyrrhus de Capitaneis Sem. Rom. Conv. & Rhetor veteranus.

CLEMENS IV. P. M.

PETRO GROSSO SUO EX FRATRE NEPOTI

Salutem & Apostolicam Benedictionem.

ET si jam antea præceptis meis, ac monitis usus, eum cursum instituisti, cujus non me pæniteret; vereor tamen, ne novus hic splendor supremæ dignitatis nostræ, affusus oculis, ab officio retrahat, aut saltem impediat. Habes obsidentes te officiis, adorantes, eam sequentes fortunam, quam mea causa tibi arbitrantur accessisse. Falluntur ij verò si nesciunt quid acceperim: si sciunt fallunt: gratulantur illi scilicet incommodis nostris. Aureum quidem onus incumbit; onus tamen, cui subjicimur graviùs, & perniciosiùs succumbimus. Positus in excelso fastigio non tam cæteris eminet, quàm spectaculo est. Unum omnes intuentur; neque unum volunt omnes; quin in contraria plerumque intentos contemnere periculosum est, explere longè difficile. Neque penes unum vel segniùs, vel calamitosiùs administratæ rei labes est; manet illa in vos etiam, totumque quodammodo inficit domesticum sanguinem. Æquè honore nostro gaudetis, & patetis invidiæ. Quæ autem est ista gratulatio, quod Generis vestri Pontificem habetis; cum Generis item vestri tantopere intersit qualem sitis habituri Pontificem? Hæc porro tua causa loquor: nam mihi quidem videor ipse vobis ereptus, non futurus vobis ornamento, neque pudori, quasi omninò non essem. Patruum habebas nuper, eumque amantissimum; amabam videlicet adolescentiæ tuæ spem, ingenium, animum, moresque tuos. Jam oblivíscere hoc nomen: seu familiæ, seu malis etiam vitæ Patruus ademptus est. Ampliorem in familiam translatum me divino consilio, pro illa affinitate paucorum hominum, Patrem omnium scito. Habeo te Filium, sed eum, qui omnes Patris illius supremi filios, nempe quotquot sunt homines fratres, habeat. Fac proinde ut quod in optimè constituta familia filii prudentiores solent, modestia, gravitate, virtutibus omnibus excellas. Hæ siquidem fortunæ nostræ, hæc amplitudo, hæc dignitas amplectenda magis: illa, quæ vulgo jactantur, honorum celsitudo, divitiarum vis, nobilitas, illustrisque cognatio nobis non providenda, sed contemnenda sunt; & si qua est eorum cura, non tribuenda pro voluntate, sed sapienter distribuenda; ut nulla habita fortunæ ratione virtutem aut incendant, aut illustrent. Cæterum si quis adhuc sanguinis sensus est, Patrui misereat laborantis gravissimo munere. Circumstant enim nos publici juris factos & finitimæ, & alienæ gentes, animum sibi nostrum, viresque postulant. Quantùm geminus patet orbis, tantum mihi curarum impositum intelligo: sanciendæ leges, retinenda jura, Religio procuranda vigilantia, præceptis, ope, consilio. Obsistendum etiam potentiæ, coercenda audacia, necessitati consulendum, aptanda malis remedia, nec eadem sanè, nec pauca. Spatia hæc varietatesque & locorum, & hominum, quibus vix totidem capita sufficiunt, in me uno quiescunt: si subsidium ferre aut non possim, aut nesciam, defectura suo malo, meo verò etiam periculo, si non audeam. Ecce tibi, persona deposita, honorem meum: ecce fortunam tuam: inspice diligentiùs: neque inanibus rumoribus abreptus rem ipsam prætereas, nomine, & specie contentus. Tu verò amorem erga me tuum non deponas velim, sed consecres, eòque in-

tendas, ut qui Provinciam hanc humeris multò fortiorem adjecit, fulciat ipse: futuram nobis laudi & honori, cum illam honestissime administraverimus.

Joannes Petrus Arrivabene Sem. Rom. Conv. In Classe Humanitatis.

CLEMENTI IV. P.M.

PETRUS GROSSUS NEPOS

Fœlicitatem.

TAmetsi B. P. (hoc enim Te posthac nomine appellem necesse est; cum Eligentium consensus, & virtus Tua dulce quondam mihi Patrui nomen ademerit.) Tametsi, inquam B. P. communis lætitiæ, quam Orbis universus de Tua dignitate concepit; etiam mihi pars aliqua, nec illa quidem mediocris, contigit: tamen cum in ea tempora incideris, quibus novus istæ dignitatis splendor oneri Tibi potius, quàm ornamento futurus est; lætitiam quam nova dignitas excitaverat, dignitatis onus magna ex parte repressit. Cæterum si mihi gratulari non debeo, cum amantissimum mei Patruum amiserim: si Tibi gratulari non possum, cui procuranda difficultatum plena Provincia contigit; Orbi certè Catholico gratulabor, cui pacandis Europæ motibus opportunum sydus affulsit. Quod si detrimento meo reflorescit Europæ fœlicitas, & Tuo incommodo Orbi Pax quæritur; profectò non est in quo mihi placere possim: non est in quo Tibi gratuler, nisi quòd Deus communi Nostrum incommodo & Orbis Pacem, & Europæ fœlicitatem redemerit. Suades mihi multis animum privata forte contentum, lautioris fortunæ odium, & luxus fugam. Scilicet cum magis curæ Tibi sit virtus mea, quam fortis favor; repetis Filio nunc omnium Pater, quæ quondam Patruus Nepoti repetebas identidem. Et quidem quamvis de mea virtute sperare parum admodum possis, multum ipse tamen à consiliis Tuis sperare debeo: cum enim jis exemplum etiam nuper accesserit; pudebit me semper præeuntem non sequi. Offerebatur tibi Perusiæ Ecclesiæ regimen: interim verò (quod penè miraculo fuit) trepidatum vehementer est, ne Eligentium vota, preces, ac lacrymas, imò spem Orbis eluderet modestia Tua, eaque constantia oblatum deprecareris imperium; quà Tibi à Patribus offerebatur. Vide jam igitur B. P. quam fortasse superfluum sit, ut qui summam dignitatem constanter sæpè rejeceris,, qui acceptam patientissimè feras, Nepoti suadeas ejus dignitatis contemptum, quæ Tibi nondum rediit in gratiam. Ego quidem si in eam me laudem genitum volet Deus, vehementer curabo, ut, seu me Nepotem voces, seu Filium; nihil unquam sit, in quo Tibi aut Filius displiceat, aut Nepos: habeasque semper, quod in Nepote præter sanguinem ames.

Carolus Albanus Sem. Rom. Conv. In Classe Humanitatis.

CLE-

CLEMENS V. P. M.

Serpentes per Italiam Hæreses sub Allegoria Draconis extinguit.

CARMEN.

AUSONIÆ resupina jaces infamia terræ,
Seminecesque artus, nigroque madentia tabo
Terga videns, calido lambis fumantia telo
Vulnera. Tartarei Victorem carmina monstri
Pandite.Romulidum Tuque ò fortissime Vindex
Da, CLEMENS, fausto facilem mihi Numine musam.
Quà ferit audaci pater Appenninus Olympum
Vertice; sylva vetus densis circumdata dumis,
Roboribus piceisque nigrans, sub tegmine lenti
Viminis incurvo tenebrosum protegit antrum,
Solis inaccessum radiis. His conditus umbris
Læthifer anguis erat, squamis metuendus & auro.
Fulgurat è maculis rabies, è corpore terror:
Stant oculis flammæ: liquidum fluit ore venenum:
Lingua trisulca micat, crescunt in acumine dentes:
Iratæque rubet crudelis gratia cristæ.
Jamque per innumeras, quibus imperat Ausonis, Urbes,
Straverat hic Populos, hic diro funere Reges,
Nullaque inexhausto restabat præda veneno,
Humanis sed pasta epulis, & pota cruore,
Irritata magis, non est satiata nocendi
Ambitiosa fames, magnæque cupidine prædæ
Romam Orbis Dominam lacerandam clade petebat.
At CLEMENS trifidum Tarpeja fulmen ab arce
Librat, & ignito properantem vulnere tardat:
Crudelemque animam mortemque in morte minantem
Depulit. Ille vomens mistum cum tabe venenum
Procubuit, peperitque suo de funere vitam.
Plaude tibi, secura metu, communibus expers
Cladibus Italiæ, spolioque superba Draconis
CLEMENTI solvas, quos debes, Roma, triumphos.

Georgius Bosdari Sem. Rom. Conv. Ex Classe Humanitatis

CLEMENTIS VI. P. M.

Triplex laus, Doctrina, Clementia, & Pacis amor.

ELEGIA.

SI tua tergemino cinguntur tempora serto;
Serta triplex virtus nobiliora dedit.
Laurigeros primùm fronti circumdat honores
Ingenio Pallas semper amica tuo.

 Pallas

Pallas te puerum docuit, te Pallas alumnum
  Mirata eſt artes tam cito noſſe ſuas.
Quin ubi devictam ſenſit ſe Diva, doceri
  Artes optavit ſæpe Minerva tuas.
Proxima CLEMENTI tradit Clementia ſertum,
  Quæ cum CLEMENTIS nomine facta dedit.
Hæc docuit juſtis virtutem extollere donis:
  Hæc voluit, meritis ut ſuus eſſet honos.
Sic facili imperio tua dum Clementia regnat;
  Moribus aſſuevit vivere Roma tuis.
Templum Cecropijs habuit Clementia ſylvis:
  Unde dabat miſeris obvia ſemper opem.
Non illi pecudes, raptique ab ovilibus agni,
  Impoſiti flammis nec placuere greges.
Fruſtra illi ſacris fumaſſet victima flammis:
  Arſiſſent fruſtra thurea dona focis.
Placabant Divam ſolùm pia vota preceſque:
  Mollibat facilem lacryma ſola Deam.
Nunc tua majori colitur Clementia templo:
  Pro ſylva Romam, qua veneremur, habes.
Hic miſeris facili, faciliſque rogantibus, ultro
  Invitas vultu vota preceſque tuo.
Romaq; ſis quamvis Princeps, vocat illa parentem:
  Sis quamuis Dominus; te uocat illa patrem.
Vltima belligero Pallas tibi tempora ſerto
  Cingit, & emeritas ornat honore comas.
Nam cum diſcordes ruerent in prelia Reges:
  Turbaretque Italos Martius ardor agros;
Ipſe triumphali redimitus tempora oliva
  Placaſti audaces in ſua damna Duces.
Per te Sequanicis ceſſit diſcordia campis:
  Per te pacatis Anglia regnat aquis.
Per te Romuleis Mars Thracius exulat arvis,
  Et niveo Populos Pax fovet alma ſinu.
Ut capiunt vires, ventis ſpirantibus, ignes:
  Pulchrior à pluviis ut nitet Iris aquis.
Sic tua per Martis crevit diſcrimina virtus:
  Viſaque majori eſt enituiſſe face.
Italiam, CLEMENS, lacerarunt prælia: fama
  Nunc tibi pacato major ab Orbe venit.

Hieronymus Herba Sem. Rom. Conv. Ex Claſſe Humanitatis.

CLE-

CLEMENS VII. P. M.

Sub Navis Allegoria Pontificatus sui difficultates deplorat.

E L E G I A.

IRam pone, fretum: venti, mansuescite. Clemens
Orat, jactatæ cui data cura ratis.
Quid faciam, infelix? Aut qua regione requiram,
Quod negat auxilium Pontus, & aura mihi?
Pontus, & aura ratem quondam juvere: cucurrit
Per medium sospes cum mea cymba salum.
Nam mare pacatis æquabat fluctibus undas:
Implebat tumidos aura secunda sinus.
Ast nunc Pontus iter, placidos negat aura susurros:
Aura secat velum, dum ferit unda ratem.
Hei mihi! quot fragilis jactatur cymba procellis,
Cymba procelloso penè sepulta Mari!
Hei mihi! præcipiti modo pendet ab æquore puppis:
Et modo subductis præcipitatur aquis.
Nunc illam rapida cingit vertigine fluctus:
Nunc illam dubii vorticis unda rapit.
Pellimur hinc Austro; sed & inde repellimur Euro:
Unus obest alii ventus, uterque mihi.
Carbasa seu tendo, Pelagoque immittor aperto.
Seu tutum timidus Navita littus amo:
Infidum mediis irascitur æquor in undis:
Et reflua infido in litore fervet aqua.
Seu mihi tyrrhenum placeat proscindere Pontum;
Seu placet Adriacum currere puppe salum;
Ecce repentinas insurgit fluctus in iras:
Asperat Ausonium sæva procella mare.
Mitior ah saltem Boreas spiraret ab Arcto:
Servaretque, olim quam dedit ille, fidem!
Ille etiam nostræ laceravit vela carinæ:
Ille etiam obsequium, quod dabat ante, negat.
Ah! saltem Latio liceat succedere portu!
Tuta sit ah portu prora Latina suo!
Me miserum! solito licuit succedere portu,
Sed tutum in portu non licet esse meo.
Namque etiam hic rapidus motis furit æstus arenis:
Hic etiam pictos verberat unda Deos.
Iram pone fretum: venti mansuescite: spernis
Vota fretum? nostras spernis, & aura preces?
Tu saltem, iratas sternit cui Nereus undas;
Quoque jubente, levi murmurat aura sono.
Tu mihi, Numen ades; Latiam tu dirige Puppim.
Tu Dominus, Rector sum ratis ipse Tuæ.

Joseph Durazzi Sem. Rom. Conv. & Rhetor novus.

CLEMENS VIII. P. M.

Nepotem suum cum Pontificiis copiis ad bellum contra Turcas mittit.

E L E G I A.

HUc ades, ò nostræ non ultima gloria Gentis,
Care Nepos, Martis fulmen, & Orbis amor.
Huc ades, & Latium primò venerare Parentem,
Et preme signatos ore tremente pedes.
Sed postquam nostris impresseris oscula plantis;
Ultima ab Ausonio Principe dicta cape.
Bella placent, quondam claros habitura triumphos:
Bella placet Getico bella movere Duci.
Romula Tyrrheno decurret in æquore classis:
Et Cœlo Jonias Auspice scindet aquas.
Ergo meas inscende rates: pelagoque volantes
Impleat aspirans ventus, & aura sinus.
Rumpe moras, generose Nepos, tibi militat æther
Et tua cœlestis diriget arma manus:
Fulgida, quæ nostris rutilabunt sydera signis;
Illa tibi toto sint cynosura mari.
Ingredere ominibus certis, ventisque vocatis
Sithonis à Latiis puppibus unda gemat.
Causa placet superis, superisque volentibus ipsis
Odrysio placuit cum Duce bella geri.
Nec dubites, fortem si bella ferantur in hostem:
Adverso timeat qui movet arma Deo.
Hactenùs Ausoniis fatis insultaverit Aris,
Spreverit & Latias barbara Luna manus.
Tempus adest, fractæ surgant quo compede gentes:
Et vetus excutiant colla subacta jugum.
Tempus adest, Getico quo sanguine purpuret, & quo
Palleat amissa Thracia Luna face.
Ast ego, dum curres remis ferientibus æquor,
Dum vehet Ænotrias Tethyos unda rates,
Thura dabo pia thura Deo: Populisque vocatis
Decludet sacras dextera nostra fores.
Romuleam & quisquis peregrinus venerit Urbem;
Affusa à nobis abluet unda pedes.
A nostra sitiens sumet charchesia dextra,
Sumet & à nostra fercula lauta manu.
Ipse tamen tenui ducam jejunia victu,
Et cinget setis horrida zona latus.
Fors erit, ut nostris numen placabile votis
Injiciat Scythico frœna Latina Duci.
Et mea Treyciis rutilent in turribus astra,
Detque locum Stellis Luna superba meis.

Colomanus Hamerani Sem. Rom. Alumnus, & Rhetor novus.

CLE-

CLEMENS VIII. P. M.

Sub Daphnidis nomine Thyrsis, & Amyntas laudant, quod, recuperata ab ipso Ferraria, immunes nunc sint à Bellorum incommodis.

E G L O G A.

QUà patet effusis foelix Insubria terris,
Et sese major vasto caput erigit alveo
Fluviorum Rex Eridamus, Pelagoque sonanti
Arva secat, raditque tuos, Ferraria, campos;
Curarum immemores liquidi propè fluminis oram
Thyrsis oves cantu, calamo mulcebat Amyntas
(Nam cantu Thyrsis, calamo præstabat Amyntas.)
Fortè, sub herbosæ gemerent cum margine ripæ
Lactentes vitulæ, & querulis balatibus agnæ
Implerent valles, & amicam vallibus Echo;
Respicit Eridanum Thyrsis, medioque natantes
Amne viros, galeasque videt, clypeosque sonantes,
Relliquias Belli, & Scythici fera proemia Martis.
Ergo vicini metuens discrimina belli,
Flebat, & has mesto tristes dedit ore querelas.

Thyr. En queis nostra suas tellus promittit aristas!
En quibus à foetis teneros educimus Agnos,
Inserimusque pyros, & ponimus ordine vites!
Nunc alios populatur agros Mars Thracius: Urbes
Nunc alias, aliumque solum funestat Erymnis.
Proxima sed postquam turbaverit arva Gradivus;
Nos eadem fortuna manet: deflebimus ambo
Amissum pecus, & dulcis grata otia ruris.
Non tuta in stabulis fuerint, non tuta per agros
Errabunt armenta: manu ferus omnia miles
Auferet: intonsas sonipes pede proteret herbas,
Vicinæque hostiles sylvæ flectentur in hastas.

Amyn. Quas ripis errare boves, errare capellas,
Thyrsi, vides, siccoque in littore ludere saltu,
Candentes vitulæ, & foetis cum matribus agni;
In stabulis tuti semper, tutique per agros
Tondebunt virides, nullis prohibentibus, herbas.
Ne dubites, nobis campus servabit aristas:
Turgida spumabunt nostro multralia lacte:
Noster erit, nostroque lacu calcabitur, omnis,
Incustodita pendet qui vite racemus,
Aspera vicinos quæ miscent prælia campos,
Hinc aberunt; nostrasque reget Pax aurea sylvas.
Dispersas quondam pecudes, & diruta vidit
Pastorum tecta, & quercus innare revulsas
Turbatis caput attollens hoc flumen ab undis:
Sed postquam hos colles, has sylvas Daphnis amavit,

Atque suum fœlix novit Ferraria Daphnin;
Mutavit fortuna vices: Clementia cœpit,
Et secura quies nostris assuescere sylvis,
Daphnin Pastor amat: volucres, armentaque Daphnin
Si possent: Daphnin volucres, armentaque amarent,
Ut rident violæ, vel purpureus hyacintus,
Ut sylvis modulantur aves, cum pulcher Eoo
Sol redit, & nitida densas face discutit umbras;
In nostra haud aliter cum venit ovilia Daphnis,
Idaliæ rubuere rosæ: cecinere volucres:
Fronde nova, pomisque novis se vestiit arbos:
Et pecudes saliere: hædi saliere petulci.

Thyr. Sed si Parca ferox invidit Daphnida nobis;
Dic mihi, quis posthac pecudes defendet, Amynta?
Daphnis abest: aliasque alio sub sydere sylvas
Nunc habitat, nostri forsan gregis immemor: & fòrs
Immemor Eridani majores quæsiit amnes.

Amyn. Quin potiùs licèt ille alio sub sydere sylvas
Majores habitet, majoraque flumina nostris;
Is tamen in alio redivivus Daphnide, nostras
Curat oves, tutosque jubet per pascua tauros,
Et tutos errare greges, errare capellas.

Thyr. Cur igitur (quoniam consedimus ambo periti
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus)
Non canimus Daphnin? Nobis si hæc otia Daphnis,
Daphnis & à nostris prohibet præsepibus arma?

Amyn. Thyrsi, vides quantæ veniant de montibus umbræ?
Nox ruit: & nigro jam surgit vesper Olympo:
Et Daphnis vetat, & surgentia sydera cantum.

Comes Camillus Marazzani Sem. Rom. Conv. & Rhetor Veteranus.

CLEMENS VIII. P. M.

Domesticam distrahit suppellectilem, ut pauperum calamitatibus consulat.

EPIGRAMMA.

PAuperis in speciem Numen delabitur astris,
Divitiæ ut vena de meliore fluant.
Hinc hominum pietas reddit sua munera Templis,
Cultaque votivas ara flagellat opes.
Auspice te, CLEMENS, repetit jam Numen egestas,
Plus tamen in cultu paupere Numen habet.
Instar habes Regum, Tyrio dum murice fulges,
Dum contemnis opes, Numinis instar habes.

Laurentius Grimaldi Sem. Rom. Conv. & Rhetor novus.

CLEMENS VIII. P. M.

Anno Jubilæi multa pietatis opera in Pauperes exhibet.

ELOGIUM.

REgnante CLEMENTIS VIII. munificentia
Romam conflue,
Ubi te non invenias ampliùs
Peregrina Pauperies.
Supremam Regnantium Majestatem
Amabili pietatis metamorphosi
Plebi famulantem
Mirare.
Quem Reges adorant, Orbis colit, tremunt Inferi,
Sordidis advolutum pedibus
Intuere.
Jam sola thesaurorum effusio,
Quem famulantem vides,
Testatur Principem,
Nisi quod ipsa Majestas in demissione sublimior,
Aut CLEMENTEM probat, aut facit.
At quem in sæculi cunis, miraris Principem,
Diligis Patrem,
Disce sperare,
Abeunte sæculo cùm usura redivivum;
Sic quæ sæculi infantiam inter pietatis ubera excepit,
Tandem
Benignitatis, munificentiæ, demissionis,
Prodigia geminans,
Rediviva Clementia
Sæculum coronabit.

Augustinus Lombardi Sem. Rom. Conv. & Rhetor novus.

CLEMENTIS IX. P. M.

Auxilium Cretâ à Turcis captâ implorat.

EPISTOLA.

GNossiaci Regina Maris, cui littora centum,
Centum Urbes Populos, lataque Regna dabant;
Infelix Getico jubeor servire Tyranno,
Et dare barbarico regia colla jugo.
Illa graves patitur cervix onerata catenas,
Ornatum gemmis quæ diadema tulit.
Illa coercetur vinclis, & ferrea sentit
Pondera, quæ gessit splendida sceptra, manus.
Hostis in excelsa, nullis prohibentibus, aula
Regnat: me rigidi carceris umbra tenet.

Hei

Hei mihi! Noster adhuc rubris stat sanguis in arvis:
  Ossa Ducum campis semisepulta jacent.
Qua steterant Urbes, colles feriuntur aratro:
  Surgit ab eversis sedibus alta seges.
Templa ruunt: alio surgunt altaria cultu:
  Mentito fumant impia thura Deo.
O utinam subito terræ consumar hiatu:
  Mergar & in medio contumulata Mari;
Ne sacris videam contraria surgere sacra:
  Ne videam ritus, impia turba, tuos.
Perdita, sed nondum pereo, sed perdita vivo:
  Ah, CLEMENS, facilem tu mihi tende manum.
Quam Superi servant; ne tu servare recusa:
  In me cum Superis est tibi juris idem.
Auxilium nuper, complentibus æquora velis,
  Ne caderem, tuleras: hoc ego lapsa rogo.
Ah veniat Ligurum, veniat Tyrrhena juventus,
  Et Romana meas classis obumbret aquas.
Nave super celsa nomen CLEMENTIS in auro
  Fulgeat, & tremulum verberet astra jubar.
Ille nitor Geticos rutila face fulminet Hostes:
  Ille mihi clari syderis instar erit.
Eja age, rumpe moras: tumidis da carbasa ventis;
  Et premat Jonias Romula classis aquas.
Unum oro, quodque ipsi etiam concesseris Hosti,
  Hostis si peteret: scilicet esse tuam.

Georgius Bosdari Sem. Rom. Conv. ex Classe Humanitatis.

CLEMENS IX. P. M.

Tumulum suum brevi hac Epigraphe inscribi jubet:
CLEMENTIS IX CINERES.

ELOGIUM.

ERravit Modestia Tua, CLEMENS,
Quæ dum litteris vetat inscribi Sepulcrum,
Prodit facta, non celat.
Augusto Cineri Tuo
Nihil tam nocet ad laudem,
Quàm vita CLEMENTIS.
Exiguus, quem imperas, lapis
Teget ossa, non famam;
Et accedens Tumulo Roma
Perget dicere, quod invita non legit.
Ut vel mortuus laudem declinares;
Alio vitæ genere utendum erat,
Non Testamento.
Accipe igitur

Quod

Quod paucis fama subscribit.
CLEMENTIS IX CINERES,
Qui extinctis Principum odiis,
Sublata Populorum inopia,
Partaque Orbi universo fœlicitate,
Nihil habuit commune cum cœteris,
Nisi Mortem.

Joseph Roverus Sem. Rom. Conv. & Rhetor novus.

CLEMENS IX. P. M.

Cretam pecunia, & milite juvat, ne à Turcis occupetur.

EPIGRAMMA.

CReta jaces, frustra puero reptata Tonante:
Lunaque centenis Urbibus alta sedet.
Quid faceret CLEMENS? Juvit te milite: Classe
Te juvit; Scythicum ne paterere jugum.
Tu tamen ah! pateris Scythicas invita catenas:
Flectis & Odrysio Regia colla jugo.
Solamen vicina tamen tibi, Creta, ruinæ
Troia det: excidio Troia superba suo.
Post duo nam flammis victricibus Ilion arsit:
Creta, tamen solùm post tria lustra cadis.

Paschalis Galeani Sem. Rom. Conv. & Rhetor novus.

CLEMENS X. P. M.

Ludovicum Beltrandum, Cajetanum Thieneum, Philippum Benitium, Rosam Peruanam, & Franciscum Borgiam Sanctis annumerat.

CARMEN.

ADdita syderibus nova sydera, grandia nostro,
Exiguo quamvis, sint argumenta labori.
Huc ades, Aoniis cui Pindus murmurat undis,
Phæbe Pater, fœlixque meis allabere cœptis.
Dum pia cœruleo residens Clementia Cœlo
Humanas spectare vices, & ab axe sereno
Terrarum molem, medioque sub æthere mundi
Gaudebat lustrare globos, calcataque circum
Imperia; occurrit Princeps, molimina rerum
Qui volvit, sceptroque sibi subjecta ministrat
Regna, datumque Petro certo regit ordine mundum.
Hunc Dea prospiciens, æquantem nomina factis
(Nam nomen CLEMENTIS erat) sua dona parari,

Digna-

Dignaque pro meritis disponi prœmia jussit.
Inde polo residens medio prostrata Tonantis
Ante oculos stetit, & tales dedit ore querelas.
Summe Parens, pœnas à quo sperare Nocentes
Fas est, & dignis impendi prœmia factis;
Influxu rediviva tuo gratissima tellus
Germinat, & spondet varios in tempore fructus.
Ergo quod in proprio divina potentia Cœlo
Præstat id ipse suis CLEMENS in sedibus æquo
Ponderet Imperio: liceat nova sydera Cœlo
Inserere, & meritis altaribus addere Divos
Hæc ait: & postquam validas pulcherrima Virgo
Esse preces novit; liquido delabitur axe:
Ocior & jaculis, ventoque fugacior omni
Romuleo venit CLEMENS ubi splendidus ostro,
Subjectos Latia Populos moderatur ab Urbe.
Forte Senex dulci curarum oblivia somno
Hauribat placidus: paribus Clementia pennis
Cum subit Augustos non observata penates:
Affaturque Patrem, noctisque eliminat umbras.
O cui de triplici rutilat Diademate vultus,
Summe Parens, orbemque data moderaris habena;
Nullane te Cœli tangit pia cura? Nec unquam
Transcribes nostro meritos Heroas Olympo?
Ergo Beltrandi Cineres, atque Ossa Philippi,
Et Cajetani tenui modo condita busto,
Nunquam turba frequens posita venabitur urna?
Nec Rosa quam dives Peruvia nutriit, & quem
Fortunata dedit Patriis Hispania sceptris
Borgia, Semideum meritis miscebitur aris:
Accipietque preces, votisque vocabitur unquam?
Ergo age & his etiam ponas altaria Divis.
Hæc laudis sit summa tuæ: post fata sequeris,
Quos modo in æthereas Divos præmiseris oras.
Dixit & incussis rediit super æthera pennis.
Obstupuit Pater, & somni fugientibus umbris,
Ecce sequor, dixit, Divæ sequor omina tanta.
Salvete ò igitur Latii nova sydera Cœli.
Nunc ego vos reliquis animis cœlestibus addo.
Ipse prior Cineres supplex venerabor, & ipse
Thure pio, & sacris cumulabo altaria donis:
Quosque damus Cœlo, post ultima fata sequemur.
Quod si alius Latio spectandus murice quondam
Romuleum accipiet nostro cum nomine Regnum;
Ille etiam, Odrysiæ sed postquam cornua Lunæ
Fregerit, & stabili sociarit fœdere Reges:
Threjicium postquam patrii propè Strymonis undas
Frœna reluctantem frustrà, frustraque cruentum
Ærea mordentem rabido sua vincula dente
Æterno Victor damnarit carcere Martem;

Ille

Ille Deum vitam accipiet, divisque videbit
Permistos heroas, & ipse videbitur illis,
Pacatumque reget, Patriis virtutibus Orbem.
Julius Vitelleschi Sem. Rom. Conv. & Rhetor Veteranus.

CLEMENS X. P. M.

Collatam sibi summam dignitatem Lacrymis excipit.
In ipsius lacrymas.

E L E G I A.

O Lacrymæ, quas non vincit Danaejus imber,
Este precor menti Castalis unda meæ.
Puri animi testes, vos diva è fronte volutæ
Inclita fulgenti lambitis ora fuga.
Neve homines tanto perstringat Numen ab ore;
Velatis molli lumina sacra gelu.
Parvi Orbes; in quos sese tenuasse putanda est,
Ut tangat vultum Principis, Æthra micans.
Exigui latices; sed quos veneratur, & horret
Et Tagus, & totis cernuus Ister aquis.
Sydera vos dicam; quamvis non alta tenetis,
Sed liquido potius tenditis ima gradu.
Terra refert Superos tanto sub Principe; in illam
Par est ut superæ desiliatis opes.
Sacra per ora vagæ decoris, monumentaq; laudum
Pingitis, atque animi scribitis acta pij.
Scribitis, ut placidæ Regina modestia mentis
Proscribat vestris vota superba notis.
Credo equidem, tali si se spectaret in unda,
Damnaret vultus ambitus ipse suos.
O gemmæ, fœdi quas non ad præmia luxus
Fudit Erithræo squalida concha sinu,
Verum Semideæ domino de sanguine venæ
Finxit laudata dædalus arte pudor;
Ut decus, & vestro virtus torquata monili
Principis augustis splendeat alta genis.
CLEMENTI Cœlo tandem (venientia sæcla
Auspicium fœlix sumite) gemma pluit.
Dum signat gemmis Regni primordia CLEMENS,
Aurea queis cedant, gemmea sæcla facit.
Tuque Pater, quem cuncta regant cum supplice fato,
Terna velis domina stringere sceptra manu:
Per lacrymas consume hominem, terrenaque jura;
Nam manet humana te vice major apex.
Teque probent posthac tua gesta ingentia Numen;
Et clament populi: credimus esse Deos;

Jacobus Maria Ayroli Sem. Rom Conv. & Rhetor novus.

CLEMENTUM P. M.

Corona.

O D E.

NAM cur inertem plenius obſidet
Viſum papapaver? Feſſa domeſticas
Nox denſat umbras, & jubentem
Luce ſequor fugiente ſomnum.
At quæ ſe in umbras inſinuat dies?
Proh quam decoro lumine nobilis
Coruſcat intus Diva?
Vincit ore novum radiante ſolem.
Demiſſa tergo plurima plumeo
Perrumpit acres ala Favonios,
Vehitque conſcenſura ſecum
Aerium ſuper aſtra callem.
Fatigat omnem ſtridula ſpiritum
Fœcunda dignis buccina laudibus,
Et facta diffundit per Urbes
Emeritam ſubitura muſam.
Diſcedit imo viſcere perviis
Calcanda Tellus greſſibus, & viam
(Utrinque ſuſpendente vallum
Imperio) penitus remoto
Maritat antro; non aliter metum
Texente juſſa Doride vitreum
Moſes Idumeis catervis
Ambiguas reſeravit undas.
Antrum ſuperbas ad Capitolii
Spectare rupes dicitur abditum;
Proh qualis exercet novati
Praxitelis, Phidiæque ſcalprum
Imago ficto Principe nobilis?
Sudatur actis pervigil ictibus
Vel ipſe Naturæ timentis
Sudor, & imperium refundit
Scalprum in ſuperbam Regis imaginem
Orti in coronatum imperii metum:
Se plena Majeſtas in almum
Induit officioſa vultum.
Inertiori ſydera lampade,
Si utrumque lumen fulguret, emicant,
Totumque conſumpſiſſe credas
Praxitelem, artificemque dextram.
Sed quæ ſtuporem pompa rapit novum?
Subit relictum Praxitelis locum
Chorus Dearum, ſubditæque

Effigies leviore saxo,
Et tenuiori dispositæ loco,
Circum coronant ordine imaginem;
Quæ clara fulgescit, minores
Luna velut prior inter ignes.
O quæ timentes tuta Regis gradus;
Quis ille, tota qui supereminet
Cervice sublimis? Minor quid
Ordo sibi, famulusque poscit
Chorus Dearum? Dic age: Principi
Novum merenti nam decus additur;
Si fama vulgarit per orbem
Artifices meruisse Divas.
Viden, nefandæ quæ prior imminet
Regalis Hydræ: Quæ fera Principem
Formidat Augustum; Deorum est
Vana superstitio: catenas
Illi retortis nexibus inicit
Certa triumphans Religio manu!
Quæ jura dispensat colenda
Effigies, tua Magne CLEMENS,
Qui primus almo nomine inutilem
Cultum infulato pectore deprimis,
Deosque mendaces timendus
Veridica premis usque poena.
En ut sonantes sacrilega manu
Obscæna nummeros altera præferat,
Auroque venalis mitratam
Occupat imperiosa Sedem.
Tibi secundo nomine Pontifex
Coacta servit; non pretio subest
In Orbe discissis cruentus,
Cui pretium Deus ipse venis.
At non medullis spiritus exilit;
Dum viva sacram luce Tyrannidem
Spirat, trahens cornu minorem
Barbaricam generosa Lunam?
Isthæc duorum Numine Præside
Fervere jussis edocuit vadis
Tonantis ob victum sepulcrum,
Et Rodanum, Adriacamque Tethyn.
Verum remissis utraque vultibus,
Quæ Diva Sedem nobilis occupat,
Utramque tutatur sequentum
Pontificum obsequiosus ardor.
Præclara cætus altera Præsulum
Cogit verendos: Altera supplicem,
Sibique districto parantem
Italiam quater ense cladem
Victrix priori reddit imagini.

Fruſtra cruentas excutiunt minas
Mavorſque, Germanumque funus,
Et nocuos fera vincla nexus
Injecta Divæ: Corde ruentibus
Major minarum juſſibus, obvios
Neſcit labores, ſi colenda
Mediceo famulatur oſtro.
At non cruentus carcer obambulat
Utrumque aduncus cui latus, & ſibi
Cladem minatur fune, noſtrum
Effugiet Metanæa viſum.
Virtus ſub umbris nata petit diem,
Sibique falſo nomine durior
CLEMENS jubetur ferre Solem;
Immeritis rapiendus umbris,
Hujus ſuperbam noſcis Imaginem?
Manuque circum permeat ordinem
Noviſſe credam, nempe veſtræ
Parrhaſias imitatus umbras
Adhæret aulæ nobilis. Illius
Ab ore pendet candida Gallicis
Subvecta pennis Pax, Ibera
Tuta viæ ſuper arce pendens.
Regnata ſenſit Creta Leonibus
In imminentes Adriacis opem,
Lunas, diu cogens repulſas
Ambiguum reparare cornu.
Claudit decorum nobilis ordinem
Themis ſacrorum lance pericula
Sudata perpendit virorum,
Et meritis pia donat aris.
Vix hæc; euntes ſponte ſua Deæ
Viſæ moveri, motibus obvios
Spondent gradus, atque impetrato
Nutibus à Dominis receſſu;
Excelsioris mox & Imaginis
Dein advolutæ ſuppliciter pedi,
Sceptrum recuſantem fatigant
Pontificem. Diadema pendet
Regale, quærens ambiguum caput.
Tandem, Latini qui decus imperj
Sceptrumque triplex qui recuſat,
Auſonio radiavit Oſtro.

Comes Julius à Vulpe Sem. Rom. Conv. & Rhetor Veteranus.

CLE-

CLEMENTIS XI. PONT. MAX.

LAUS

SILENTIUM.

ORATIO.

QUinam ætati B.P. non visa mirabilis, mysterioque plena via illa à Pythagoricis inita, ut arcanam, & imperscrutabilem Dei naturam ob oculos nostros exponerent, ac fluctuantem intellectum manu quodammodo ad ejus contemplationem deducerent non alia quippe definitione usi sapientes viri, quàm numerorum adminiculo conflatâ, & interroganti quid esset Deus Monas, & Decas illicò reponebant, veluti in enigmate significantes, incircumscriptum perfectionum pelagum sub denario numero adumbratum in eum unicè confluere, cujus summa simplicitas sub numerica figurata unitate exhibebatur. Qua de re quis Divino factum consilio non dixerit, ut tu Princeps, ac Pater CLEMENTIS XI. nomen in tuum malles adoptare, cui cum Monas, & Decas adnectantur facillima datur conjectura depræhendere virtutum omnium multiplicitatem, quas in decem mirati sumus divisas Clementibus in Te uno mira convenisse concordia, ut ex illis Mundo suspiciendus, Superisque simillimus Princeps coalesceres. Cum itaque decem in Clementibus tanquam in nube Te subobscurè simus intuiti, reliquum modò foret, ut in Te uno decem contemplaremur CLEMENTES, sed cum severè nimis Tua nobiscum agat modestia, ut, licet tam ampla dicendi sese offerat seges, nihilo tamen minùs cogat vel invitos sterilescere, & tacere; parebimus. Scilicet in hoc alii Te vincent: erravi, in hoc etiam alios excedes, ut illi laudari possint cum debeant, Tu nequeas, cum maximè merearis. Esto igitur summa CLEMENTIS XI. *Laus Clementem mirari nos posse, loqui de Clemente non posse*. Habes, ò Princeps, quod jubes orationis scilicet nostræ materiem, SILENTIUM.

Et sanè cum vires, atque dicendi artem materies exuperat, quem lateat eloquentissimam Oratoris linguam tunc esse, si taceat. Qua de re nullam institutam de Deo orationem censuerim, quæ propiùs argumentum attigerit, digniùs pertractaverit, amplificaverit elegantiùs, quàm quæ habita olim à Simonide Philosopho, jussus nimirùm à Rege Hyerone aliquid de Deo pro dignitate profari, advocato semper ad diem die, & extorta ad moram mora, nihil prolixum post temporis dispendium in Divinæ disquisitione naturæ assequtus est, quod verbis posset exponere, sed in novo ac geminato mentis conatu stupore tandem oppressus succubuit, & laudationis suæ venerabile compendium habuit obmutescendo. Divinitatis imagines esse atque vicariam ejusdem gerere potestatem Nemo, nisi qui desipiat, Romanos Pontifices inficiabitur: sed quantò propiùs Divinum ad exemplar CLEMENS noster accedat; hinc nosce: quod de illo aliquid dictu-

dicturis nob absimile nobis orationis genus fuit opus suscipere, atque de CLEMENTE non aliter eloqui, quàm Sapiens ille eloqutus de Deo. Postulabat jamdiù ab hac Domo (nec immeritò) & Roma, & Italia universa sub initium auspicatissimi Principatus, ut tota in novi Principis plausus effunderetur, tota in laudes abiret, facemque omnibus ad CLEMENTIS Elogia præferret. Itane verò (undique inclamabatur) vel tenuissimum illud Academiæ vestræ tributum, quod nulli ex Pontificibus, qui vestros olim incoluere parietes, detractum est, iniquè adeò negabitur Principi, qui cum adhuc Purpuratos inter Patres tam frequens vos invisebat, ut penè Hospes, & Incola videretur: qui sese huic Aulæ grande ad studia ac virtutes omnes incitamentum tam liberaliter commodabat: qui in Pontificem renunciatus custodiendum vobis reliquit Magnum illud totius Christiani Orbis depositum, totidemque sui vicarias, splendidasque imagines, quot consanguineos? At nos diem semper ad diem, ad mensem postulavimus mensem, ac tandem argumenti magnitudine oppressis, opportunior nulla de CLEMENTE pro dignitate dicendi sese obtulit via, quàm de CLEMENTE tacere. O promptum, nobile, ac necessarium perfugium, taciturnitas, cum in sermone periclitaris, & à nimia dicendorum ubertate gloriosam induceris in pauperiem, ac desperationem: novi in dies stimuli nostris addebantur lateribus, callum stimulo obduximus; proponebatur sæpissimè ab aliis idonea laudationi nostræ materies, propositam semper rejecimus;obstinato identidem succensebant silentio,nostris oculisobjicientes CLEMENTIS XI præconia ab aliorum ingeniis diuturno studio ac labore confecta: Illum non sibi sed toti Mundo natum regendo alius celebrabat; non hominum sed Magistra Dei manu elaboratum nobis in Principem prædicabat alius; quot fumosa Familiæ decora,quot elatæ mentis amplitudinem, quot prudentiam è canitie suffragium non emendicantem nec expectantem, quot propè Divinam Indolis suavitatem exornandam susceperant! Nec defuere qui, ut illum licet laudari severissimè renuentem, laudarent, proditoriam induti accusatoris personam: damnarunt Imperii capacem, sed non sine maximo Christiani Orbis dispendio aspernantem: qui fecere sed laudabiliter reum, quia Principatu in communem Populorum non privatam sui fœlicitatem uti nosset, sed proprium mallet abuti in incommodum: qui in illum irrevocabili pronunciarunt suffragio eò quòd omnes etiam remotissimæ Terrarum Orbis Plagæ animo magis ac Religione à nobis divisæ,quàm loco CLEMENTIS beneficia sentirent, & qui ipsi propiores, sanguineque conjuncti ne minimum quidem commodum ex hoc fonte publicæ fœlicitatis haurirent; sed minùs proximo Principe fruerentur, quàm illæ remoto. Hæc & plura vel audivimus, vel legimus, sed omnia damnavimus B. P. scita in Tui laudatores objurgatione usi, qua usus olim Diogenes in Philosophum multa de Deorum natura Populo venditantem: vah miser, inquit, qui quod optimum est in Philosopho totum corrumpis, videlicet Silentium: haud secùs, pace dixerim vestra, quod optimum, quod necessarium est in CLEMENTIS laudatore miserrimè violastis; de CLEMENTE videlicet nihil loqui. Iniqui tamen erga vos nimium essemus, si maximum quod à laudatione vestra beneficium suscepimus, vel à nobis non agnosceretur, vel cognitum occuleretur, ex illius scilicet umbris, potiùs quàm luce, in CLEMENTEM refusis datum est cum obscuritate tamen, & sine distinctione dignoscere, quis, &quantus sit iste Princeps: fecimus quemadmodum sapientes Mathematici solent, qui

ut

ut immensum, ac velocissimum planetarum Principis iter, effusamque per publicas mundi utilitates amplitudinem lucis aliqua ratione comprædendant, & distinguant exiguæ cuspidis opacitate umbram sui projicientis utuntur, atque ita non nisi tenebris debent, quòd solem agnoscant.. Quamquam consultiùs, ac laudabiliùs statuisse semper censuimus Ægyptiorum sapientissimos, qui cum immortales animos, & caduca omnia corpora radiis illustrata solaribus multiplici effingerent pigmento, & simulacro repræsentarent; ipsum tamen omnia illuminantem Solem, coloribus vel simulacro exprimendum severissimè vetuerunt, ne majestate tantæ lucis oppressum humanum ingenium luminum omnium Authorem obscuraret potiùs inficeretque quàm referret. CLEMENTIS Animus tot virtutum luminibus efflorescens, beneficia CLEMENTIS longè, latèque per totum terrarum orbem disseminata, ita humanæ mentis oculos perstringunt, & obruunt, ut licèt ista mirari, ac commendare possimus, consultius tamen sit, & sapientiùs factum de CLEMENTE tacere, ne indecorè loquamur, & obscuremus potiùs, quàm illustremus tot virtutum, & beneficiorum Authorem, nec minùs tacendo, quàm loquendo laudabitur, quemadmodùm non minùs sacro silentio, quàm vocibus Divina celebratur Sapientia, Bonitas, ac Potentia. Auditis quid ad psalterii pulsum Regius Fidicen moduletur? Volucres, inquit, Cœli, & Pisces Maris: ad quid excitantur tam disparis indolis animantia? Ad laudem Deo præstandam, & qua pollent lingua canendum, Domine, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra! Quod quæ aerem alis metiuntur, franguntque canoro gutture, invitentur aviculæ; non est profectò mirandum: sed qui per immensas Oceani aquas muti gregis exercitus divagatur, & fluctuat; ad armonicum hunc concentum advocetur, difficillimum videtur mysterium involvere. Accedit quod ipsemet Vates non illarum, sed hujus visus est instituisse vestigiis, nonne Deo silebit anima mea stupore defixus dicebat? Scilicèt vel æquè laudabile, vel sapientiùs est, cum Deo laus tribuenda, cum Piscibus obmutescere, quàm garrire cum avibus. Davidicam hanc imitari placuit taciturnitatem cum CLEMENTIS XI. nomen per universum terrarum orbem fuit celebrandum, ut periculum non dignè de CLEMENTE loquendi eluderemus. Prudentissimum amplexi sumus silentium, sed pace dixerim Tua, non quia jubebas ò Princeps, nam cum Tuus jam non sis, sed populorum; publici juris evadunt Tua gesta, Tuæque virtutes: sed quia periculosum nimis, & plenum opus aleæ de Te dignè, ac laudabiliter loqui. Nonne ergo CLEMENTI tacebit lingua nostra?

Abbas Lazarus Pallavicini Sem. Rom. Conv. & Rhetor Veteranus.

Qui Litterarios hujus anni in superioribus facultatibus labores publicè jam exhibitos

CLEMENTI XI. P. O. M.

NUNC CONSECRANT.

Laurea Theologiæ, Philosophiæ, & utriusque Juris Pontificii, ac Cæsarei in Romano Archigymnasio donatus
ABBAS LAZARUS PALLAVICINUS.

Laurea

Laurea utriusque Juris Pontificii, ac Cæsarei in Romano Archigymnasio donatus
MATTHEUS FRANZONI.

Laurea Theologiæ, ac Philosophiæ in Romano Collegio donati post emensum in eodem Collegio Theologicum quadriennium
ABBAS CORRADUS ORSINI
ABBAS ADRIANUS SERMATTEI
THOMAS PHILIPPUS AB ALSATIA Comes Bouffuvii S. R. I. Princeps Cimacen. Cathedralis Eccl. Gandaven. Præpositus.

Quatuor Theologiæ Tractatus, De Beatitudine, & Actibus Humanis; De Divina Gratia; De Sacrosancto Mysterio Incarnationis, & De Sacramentis data omnibus argumentandi facultate propugnavit
JOANNES BAPTISTA SPINULA.

Duos Theologiæ Tractatus, De Divina Gratia, & De Sacramentis data omnibus argumentandi facultate propugnavit
D. CAROLUS GESUALDI.

Universam Philosophiam data omnibus argumentandi facultate in Seminario Romano propugnarunt
CAROLUS COLLICOLA
COSIMUS IMPERIALI
DOMINICUS LUPI ejusdem Seminarii Alumnus.

Physicæ Conclusiones in Seminario Romano propugnarunt
STEPHANUS DE MARI
VICECOMES JUSTINIANI
ABBAS JULIUS VITELLESCHI.

Logicæ Conclusiones in Seminario Romano propugnarunt
ABBAS POMPEJUS AMADEI
CAROLUS IMPERIALI.

Theses Polemicas de Romano Pontifice in Seminario Romano propugnavit
THOMAS PHILIPPUS AB ALSATIA Comes Bouffovii S. R. I. Princeps Cimacen. Cathedralis Eccl. Gandaven. Præpositus.

Ex utroque Jure Pontificio, ac Cæsareo Theses propugnavit in Seminario Romano data omnibus argumentandi facultate
D. JOACHIM DE MELO BAZAN.

Ex Jure Pontificio Theses propugnavit in Seminario Romano
ABBAS LAZARUS PALLAVICINUS.

Ex Jure Cæsareo Theses propugnavit in Seminario Romano
STEPHANUS DE MARI.